



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn


**Vita S. Lamberti Martyris, Episcopi Tvngrensis: Leodiensis
Ciuitatis, & Ditionis Divi Tvtelaris**

Roberti, Johannes

Leodii, 1633

urn:nbn:de:hbz:466:1-44084





Th. 2507.

K

11

15

VITA
S. LAMBERTI
MARTYRIS,
EPISCOPI TVNGRENSIS:
Leodiensis Civitatis, & Ditionis
DIVI TVTELARIS.

*Ex antiquis, probatisque Authoribus,
& Chartis*

Collecta, & Edita,

A
R. P. IOHANNE ROBERTI
*Ardennate, Andaino, Societatis
IESV Doct. Theol.*



Collegij Societatis IESV Paderbornæ 1636.

LEODII,

Typis IOANNIS TOURNAY. 1633.

Superiorum permissu.

Scribantur hæc

IN GENERATIONE ALTERA:

Et Populus, qui creabitur,

LAVDABIT DOMINUM.

Psal. cxi. ver. xix.

MEMORIAE ADMODVM
REVERENDI ET ILLVSTRIS
DOMINI, D.

LAMBERTI
DE LAMOTTE,

defuncti, Cathedralis Ecclesiae Leo-
diensis, quondam Canonici,
& Prodecani:

Itemque,

Admodum Reuerendis, Illustribusque
Dominis, eiusdem Ecclesiae Canonicis,

D. ERASMO de XHENCHEVAL
CANTORI, &c. ET

D. ADRIANO de FLERON,
PRODECANO, &c.

Testamenti Lamottiani
Curatoribus:



*D*e Aarone summo Sacer-
dote narrat Frater eius Num.
Moyses, Sterisse illum in- 16.v.48
ter mortuos & viuentes:
Et in horrendo illo Incendio, obtu-
lisse thymiama, & pro populo de-
precatum, ac plagam celsasse.

† 2

Videō,

EPISTOLA

Video, me quoque, Sacerdotum omnium minimum, stare itidem (etsi longè aliâ ratione) inter mortuos, & viuentes, dum de Patronis huic meo libello asciscendis, cogito, & sedulò circumspicio: quo libello magni Sacerdotis LAMBERTI vitam, ac res gestas, tenui calamo describo.

Cælum intuens, te video, LAMBERTE LAMOTTE, nobis, mortalique huic vitæ mortuum; sed Christo Domino comortuum; eidem iam (sic pie mihi persuadeo) æternùm conuiuentem. Nunc videlicet illud est, quo LAMBERTVM Martyrem cognominem tuum, reuelat à facie intueris, eoque in beatis illis sedibus fruëris, ad quem, ex hoc calamitoso exilio, perpetuò anhelabas: cuius vitam à me conscribi, & vulgandæ eius virtuti, euulgari flagitabas. Scripsi eam, & en euulgo: sed quam tu multò iam meliùs, multò accuratius nôsti, ex eius diuino eam ore hauriens ex quo ore alium inhians pendes, fastidis videlicet nostra ista terrena omnia: neque tuarum
rerum

D E D I C A T O R I A .

rerum quicquam tibi fers commemorari,
Et quamquam sunt, quæ in terris, non
terrena gessisti; ne ea quidem audire ve-
lis, contentus eorum fructu sempiterno.

Venio igitur ad viuos, & adhuc
mortales, Te, inquam, ERASMVM &
te ADRIANVM, defuncti Lamotti ami-
cos amicissimos, eoque Testamenti eius
Curatores ascitos; quippe quos nôsset &
prudētissimos & iucorruptissimos.
Quæ causa, si sola sit, satis mihi esse
debit, ut vobis quoque hanc opellam
meam dedicarem, & cum illo iam mor-
tuo coniungerem, cum quo viuo, coniun-
ctissimi tot annos vixistis.

Suscipite hunc LAMBERTVM, &
quod hætenus præclare præstatis, eum
reuereri pergite, & quæ potestis, imita-
tione exprimere.

Credo ego, te, ERASME, in illo Sacro
munere Cantoris, semper quidem magnâ
animi voluptate affici, cum Dei, diuo-
rumque laudes, ex Catholica Ecclesiæ
instituto, & perpetuo usu, canis, ca-
nentesque dirigis, ut psallant sapienter:

EPISTOLA

sed nunquam suavius delectaris quā
 dum S. Martyris nostri LAMBERTI,
 vel Natalem diem; vel pompaticam il-
 lam Translationem; vel nobiles Trium-
 phos annuatim, cum illustribus collegis
 tuis, publicitus celebras: vel eius gratiana
 Memoriam, quotquot hebdomadis re-
 colis. Tum verò, ut me de te sentire
 æquum est, triumphas ipse. Tibi verò,
 ADRIANE, quæ tacita gaudia pium
 pectus pertentare crediderim, cum Li-
 turgiã, solemnè Ecclesiæ ritu, ad Aram,
 Deo nostro. S. LAMBERTI nomine &
 festo honore interposito, prodecanus de-
 cantas? Sed hæc tacita, ut dixi gaudia,
 prodere meum non est. Prodentur ali-
 quando (ita spero, & animitus voueo)
 in illo Consilio Iustorum & Con-
 gregatione.

Psal.

110. 1.

Non faciam longiorem Præfatio-
 nem ad libellum tam breuem. Tibi, Lam-
 berte, gratulor ex animo S. LAMBERTI
 conspectum: Tibi, Erasme, opto, diu ser-
 uari, & augeri viuidam istam vale-
 tudinem: Tibi, Adriane, à Domino
 addi

DEDICATORIA.

addi omnia, quaecumque unquam fuerunt prospera, ut quondam Iob, duplicia: & benedici nouissimis tuis, magis quàm principio. Iob. 42.
10. 10.

Denique utriusque vestrum, ut aliquando, sed serò, cum Lamberto, amico, & Collega vestro, euntes de virtute in virtutem, videatis Patronum vestrum S. Martyrem LAMBERTVM, & simul DEVM Deorum in Sion, Psal. 83.
8.
Ita iterum vouet

Vester in Christo Seruus,

Iohannes Roberti,
Soc. IESV.

Leodij, Ferijs Paschalibus,
27. Martij, 1633.

† 4

A P.

APPROBATIO
REVERENDI DOMINI
VICARII GENERALIS.

SANCTI LAMBERTI Pa-
troni nostri res gestæ, eleganti stylo,
curiosoque studio à Reuerendo in Chri-
sto Patre IOHANNE ROBERTI Societatis
IESV Theologo Doctore, compositæ,
merentur vt omnium, nedum clientum,
luminibus subijciantur: ideòque dignif-
simæ sunt, vt typis quam primum man-
dentur. Datum 12. Decemb. Anno à
partu Virgineo 1632.

IO. A CHOKIER

Can. & Vicar. Leod.

LICENTIA R. PATRIS
PROVINCIALIS.

EGo infrascriptus Societatis IESV in
Gallo-Belgica Provincialis facultatem
concedo, vt vita S. Lamberti Episcopi &
Martyris à R.P. Ioanne Roberti eiusdem
Societatis, Latine conscripta, typis mande-
tur. In cuius rei fidem has manus propria
subscriptas, & officij nostri sigillo manneas
dedi. Atrebat 12. May 1632.

IOANNES LOBBETIVS.



AD LEGIAM

Protrepticon.

ET voce, & calamo iuvat,
Victuraeque sacro munere paginae
Immortale decus Patrum, &
Assertam tumuli marmore gloriam
Magnorum procerum, dare
Spectandam ingenuis saepe nepotibus.
Exemplis agimur, libet
Ductrice illecebra durum iter ingredi.
Soli quis bonus est sibi?
Eccuius probitas non alios capit?
O dos inclyt a filijs
Virtus magnanimorum alta parentium!
Non frustra huc oculum refers
Diuis orta bonis optima Legia
Romæ Filia nobilis;
A Materno habitã sic retines fidem,
Mutare indocilis semel
Acceptam à superis laudis adorem.
LAMBERTVM amula prospice
Fato condecoratum immiserabili.

Al

At si plurima dimouent
Aspectum spatia, & nubibus obsita
Nondum scena recluditur;
En autem spatijs è propioribus
Dignatur minor aspici,
Ingens ipse tamè: Quantus adest libro
Productus tenui! sui
Quāta his è tabulis, perq; Robertias
Dat spectacula paginas!
Spectatrix agedum Legia confide.
Hæc corde, hæc oculis bibe,
Cognatæque fide fortiter emica.
Hoc Sectarius audiens,
Te veri tunicâ tectam adamantinâ
In pugnam audeat aggredi?
Hanc tu dum recolis progeniem, &
Patrum
Vultus aspicias illices,
Quisquam degenerem posterus arguat?

Jacobus du Iardin
SOC. IESV.

VITA S. LAMBERTI

Martyris, Episcopi Tungrensis:
Leodiensis Ciuitatis, & Di-
tionis Diui Tutelaris.



XIMII Pontificis, &
fortissimi Martyris San-
cti LAMBERTI Histo-
riam mihi scribere ag-
gredienti, occurrit, fore,
qui mirentur; fors & qui carpant, &
sugillent, me actum agere, & bonas
horas, non bono labore, præpostero
studio conterere: vt qui post mille
annos (non totâ centuriâ demtâ)
à beato illius excessu, eius res gestas
publicitus proditum eam: quas ne-
que coniecturâ assequi debeam, aut
possim; & si ab alijs scriptas legi, illis,
qui tantò propius abfuerunt, rectius,
quàm mihi, fidem adhiberi. Sed ego
(vt fileam, me plurium vel precibus,
vel hortatu, id operis suscepisse, qui
rem probè & intelligebant, & ex-
pendebant) dum antiquos illos Au-
thores lego, video, neminem vnâ
omnia


*Ratio
Scriptio-
nis, cum
Excus-
satione*

omnia memoratu digna illius Præ-
sulis complexum, sed alios alia: quod
non de illis modò accipias, qui car-
ptim, & quasi aliud agentes, aut in
opere diffusiore, modicum quid de
ipso tetigerunt: verum etiam de ijs,
qui se eius vitam integrè, & plenè
scribere professi sunt. Adde, esse non
paucà diuinitus ab eodem edita, quæ
eorum nemini nota, ab ijs scribi non
potuerunt; quippe quæ post eorum
tempora patrata liquidò constet.

*Diligen-
tia in
hoc ope-
re, &
adhibita
Metho-
dus.*

Ea ego, & quæcumque omnino
consequi, summâ adhibitâ diligen-
tiâ, potui, in hoc volumen, tempo-
rum ordine obseruato, digessî, me-
morizæ vel excitandæ causâ, vel con-
seruandæ. Video, historiam esse eius-
modi, quam dignû erat à meliore in-
genio, eruditore stylo, calamo ele-
gantiore cõponi. Sed vtique cum tot
secula in obscuro iacuerit; & neque
dû appareat, quemquã id sibi studij
sumere: modicus hic me⁹ labor pro-
fessione pietatis, & religionis, vt spe-
ro, si nõ laudabitur, at excusabitur.

C A.



CAPVT I.

LAMBERTI Stirps,
Nobilitas Ortus.



ANNVS agebatur à Christi *Natus*
Seruatoris, Natali, trice- *LAM-*
simus quintus supra sex- *BERTVS*
centesimum, cum Ec- *anno*
clesiæ quidem decimum *635.*

iam annum, Honorius Pontifex;
Imperio verò Romano Heraclius
vicesimum sextum, præfideret. Da-
gobertus Franciæ Regnum, etiam
quâ parte Austrasia dicebatur, te-
nebat: Tungrensibus Episcopus præ-
erat Iohannes, is cui Agno cogno-
men fuit.

His Principibus, eoque anno in *LAM-*
lucem editus est LAMBERTVS, *BERTVS*
Pater ei fuit *Aper*; Mater *Herisplen-*
dis, vterque nobilissimâ origine. *Parētes*

A

Ac

Ac de Apro quidem illud compe-
rio, Traiecti, in Tungrorum vici-
niâ ortum, præcipuum inter Illu-
stres locum sortitum, vt qui eam
dignitatem, quam *Comitum* dicebant,
longo ordine à Maioribus accepif-
set. Regibus carus erat in paucis, &
familiaris: quod indicat Aegidius,
dum *Regum lateralem* appellat.

Ex hoc igitur, & Herisplende
(ab Aegidio Hysplendis dicitur) na-
tus LAMBERTVS, simul cum primâ
vitæ vsurâ, Diuinę beneuolētix pri-
mitias hausit. Degebat eâ tēpestate
Traiecti Remaclus, genere A quita-
nus, homo stirpe nobilis, sed virtute,
& Sanctitudine multo nobilior, cla-
riorque. Et quoniam in Sanctitatis
mentionē incidi, lubet in hoc aditu
Vitæ Sancti LAMBERTI obseruare,
videri hoc seculum, concilium, vt
sic dixerim, fuisse Sanctorum. Non
potest non esse gratum Christiano
lectori, si aliquot hoc loco nomina-
uero, vt appareat, quibus exemplis
incita-

S. Re-
macli
eno na-
tus

LAM-
BERTVS.

Sancto-
rū fuit
hoc se-
culum.

EPISC. ET MART.

incitatus LAMBERTVS doctet, ad tantum tam claræ Virtutis apicem emicuerit, vt ex ipso vicissim tot alij Virtutem edidicerint, inque eâ illustres, magnique euaserint.

Florebant igitur id temporis Cunibertus, Io. Agnus, Amandus, Landoaldus, Eligius, Audomarus, Wandregisilus, Remaclus, Theodardus, Bertinus, Autbertus, Leodegarius, Amatus, Ansbertus, Trudo, Willibrordus, Hubertus, Suitbertus, Vindicianus: & ex altero sexu, Gertrudis, Aldegundis, Aldetrudis, Waldetrudis, Begga, Rictrudis, Madelberta. qui omnes, alijque, Ecclesiæ cælum, tamquam totidem stellæ, coronabant.

Sed, vt ad institutam narrationem redeam, hos inter, tamquam lucidum sidus, fulgebat Remaclus. Is Apro dignus visus est, cui infantem offerret sacrosanctis Christiani Baptisti aquis ritè abluendum. Fecit ille lætus, quod rogabatur, ac simul No-

A 2

men

*Eorum
Indicium
lxxx.*

LAM-
BERTVM
baptizat
Kerna-
clus.

men ei de more, imposuit, & LAM-
BERTVM vocavit.

Nomina
variè
imposi-
ta.

Pridem notârunt Sapientes, No-
mina antiquitus non temerè imponi
solita; Sed vel ab euentu aliquo, vel
partitudinis circumstâtiâ, vel à pro-
lis indole: vel certè ex spe, aut omi-
nis causâ. In hoc ego Nomine &
Indolem, & omen spectatum fuisse
crediderim. Nimirum Agninam na-
turam, & suauitatem in Infantulo
vel iam tum obseruabant, vel in re-
liquam vitam sperabant, & expecta-
bant.

Ratio
Nomi-
nis LAM
BERTI.

Nam LAM, patriâ voce
AGNUM sonat; BERT, verò eum, cui
Natura fit, quasi dicas NATURA-
TVM. Sed de hoc nomine, alijsque
quam plurimis, eodem fine cadentibus,
elegantem, & eruditâ discep-
tationē scripsit Arnoldus à Boccop
noster, quam ante hosce decem an-
nos typis excudi curavi, atque Hi-
storiæ adiunxi S. HVBERTI, quî
LAMBERTI nostri & discipulus fuit,
& Virtutum hæres, & Episcopatus
Successor

EPISC. ET MART.

Successor. Inde petito, cui accuratius cognoscendi lubido erit.

Mihi lubet opinari, Sanctum Virum Remaclum, diuinitus edoctum, & Vitam præsensisse talis infantis, Agninâ innocentia transigendam; & mortem subeundam pro eo, & illius instar, qui *Tamquam Agnus ad occisionem ductus est.* Neque temere me arbitrari iudicabit, qui cum animo suo reputauerit, eundem Remaclum, tum alia plura longè post futura prænouisse; tum in re haud dissimili, Trudoni, sancto puero, tantò antè significasse pleraque omnia, quæ illi essent euentura: Quid si & illud addam, haud absurdum videri, si & Præsulis ratio habita sit, quem tum præfuisse Tungrensibus memorauimus, cum LAMBERTVS in hanc lucem ederetur? *Agnus* ille dicebatur: Puerulum istum *Agnum* esse optabant, & ominabantur. Eò vocauerunt LAMBERTVM.

LAMBERTO
Agnina
Indoles,
vitam
agenti,
& ponēti.

LAMBERTVS
Agnō
Episcopo
similis.

A 3

CA 2

CAPVT II.

Pueritia eius, Educatio, & quaedam Admiranda.

CORPORIS Dotes longè infra eas sunt, quæ Animum ornant: cum illud huius videatur esse dumtaxat domicilium. quinetiam inter eas, quæ Corporis sunt, infima fortasse est ea, quam dicimus Pulchritudinem: quæ in aptâ partium compositione, & quasi commensuratione consistit, & in coloris quâdam suauitate. Hæc, etsi cum reliquæ adfunt, non nimium optanda est: illarum tamen, cum accedit, est non mediocre ornamentum:

Gratior & pulchro veniens è corpore virtus.

Vt minus mirum sit, si Corpus sibi formans ipse DEVS, Pulchrum esse voluit; delectatusq; illo Elogio est:
Speciosus formâ præ filiis hominum.

Hanc

Hanc Formæ speciem eximiè con- *In LAM-*
 secutus est puer LAMBERTVS, quæ *BERTO*
 & cum illo adoleuit, omnemq; eius *Formæ*
 ætatem sic ornauit, vt tamen nihil *dignitas*
 vnquam molle, nihil petulans appa-
 reret: sed cum pulchritudine digni-
 tas: & in vtrâque, Virtus emicaret.
 Pulchritudo erat, Virtutis & index,
 & illex.

Exultabant tali Prole Aper, &
 Herisplendis: sed satis gnari, longè
 pluris esse Animi Pulchritudinem,
 quàm corporis: neque eam sperari
 posse, nisi puerili ætati ea Educatio
 contingat, quæ Virtutem in Mente
 ferat & excolat: (quippe quæ ipsa
 animi vnica Pulchritudo sit) id sibi
 potissimum studij habuere, vt LAM-
 BERTO eos Magistros præficerent,
 qui eius pueritiam, atque adolescen-
 tiam non magis verbo, & hortatu,
 quàm exemplo, & vitæ integritate,
 ad ipsius Virtutis Templum, & ady-
 ta, manuducerent.

Commodùm eo tempore duo

A 4

Viri,

LAM-
BERTI
Educa-
tores, &
Magi-
stri.

Lando-
aldus,
Sancti-
tate,
Erudi-
tione, E-
loquētiā
illustri.

Viri, an Heroës, viuebant, quos ad id negotij, Numinis Prouidentiâ præparatos diceres, Landoaldus, & Theodardus. De utroq; quæ in rem esse videbuntur, paucis memorabo.

Ac Landoaldus quidem Romanæ Ecclesiæ Archipresbyter. vt qui sanctitate, & eruditione in paucis excelleret, atque etiam sacræ Eloquentiæ laude: à Martino Pont. Max. ad Amandum, Tungrensem Antistitem missus fuerat, quò ei pro Grege suo satagenti, Socius esset, & Adiutor. Quippe ipse Amandus, triennio in Episcopali munere exacto, acriter stimulari se sentiens studio talenti sibi commissi utiliter expendendi, & Domini sui rem, quoad posset, opulentandi; Virum eiusmodi sibi petierat, cui oues, Pastoris iam voci assuetas, & obedientes committeret; dum ipse interea, alias, per resqua, & auia vagantes, & luporum furori oportunas, in Ouile Magni Pastoris cogeret. Huic muneri aptissimus visus

visus est Landoaldus, cui & totum *Amandi*
 nouennium, strenuus; & indefessus, *Pötificis*
 operam dedit. *Admiror*

Theodardus verò è Galliâ oriun- *Theo-*
 dus, à Beato Episcopo Remaclo *dardus,*
 Christianâ disciplinâ imbutus, ita *Remaclo*
 totum eius vitæ institutum hausit, vt *in Epif-*
 & ipsi Remaclo, & in primis *copatu*
 no Numini dignus visus sit, qui Ma- *Succes-*
 gistri Cathedram occuparet, per vim *for,*
 ad eam raptus, cum ille, raro exem-
 plo, DEO intimius vacaturus, in soli-
 tudinem sese penetraret.

Cuius Cathedræ dignitatem, dum *Zelo Re-*
 constâti animo tuetur Theodardus; *ligionis*
 dum sacra DEO Tempia, vel Paga- *ardens:*
 norum furore subuersa; vel tempo-
 rum vetustate collapsa, instaurat:
 dum domesticos bonorum Eccle-
 siasticorum prædones, agros, & præ-
 dia, per scelus erepta, adito etiam su-
 per hoc, Rege Childerico, restituere
 cogit: ab ipsismet, sacrilego latroci-
 nio interemptus est, & Christi Mar- *& tandē*
 tyr effectus. Hos igitur tales LAM- *illustres*
Mart.

A § BERTVS

BERTVS nactus morum Præceptores; nihil mirum, si is euasit, quem deinceps ostendemus.

Igitur Landoaldus, vbi puerum sibi à Parentibus commendatum accepit; impensè in eius institutionem incubuit. Sciebat, quanta labes pueritię in aliorum prauâ consuetudine esset; & quàm facilè, velut contagio, vulgaretur. Itaque optimum facturatus, si Alumnum suum improborum turbis subduceret; ab Apro postulat, vti in Prædium aliquod rusticanum, cum LAMBERTO secedere liceat. Non deerant eiusmodi loca homini nobili, & copioso: è quibus oportunitissimum vnum visum est, cui vocabulum Wintershouium, Archæ fluuio imminens.

Wintershouium, secessus LAMBERTI educationi destinatus.

Nomen si interpreteris, sonat Villam Hiemalem: fortasse, quòd Aper, aut eius Maiores, frigidioris anni tempestate, inibi versarentur. Eum secessum Aper Filio, & Landoaldo Prædago eius assignat.

Nemo

Nemo describat, quæ hic fuerit LAM-
 LAMBERTI Vitæ ratio, qui mores, BERTI
 quæ consuetudo. Oratio, & divina- *Pueri*
 rum rerum Meditatio, erat ei tam- *studia.*
 quam panis, familiaris. Animus oc-
 cupatus semper, sed non nisi cælesti-
 bus cogitationibus: sensus, oculi præ-
 cipuè, atque aures, vel occlusæ, vel
 ijs tantum apertæ, quæ probos, pu-
 dicos, innocentes, postremò, Chri-
 stianos non dedecèrent. Lingua, in-
 quietum illud malum, vt plurimum;
 in LAMBERTO naturam mutasse vi-
 debatur. Sermo omnis de rebus diui-
 nis erat, aut alioqui de ijs, quæ Diui-
 nitatem non offenderent: de ijs, quæ
 familiaribus prodesse, obesse ne-
 mini. Denique nihil in eo videres,
 quod non præsentem sanctitudi-
 nem ostenderet; futurâ portenderet.

Neque mores dumtaxat Adole- *Quibus*
 scentuli Landoaldus, egregius arti- *Doctri-*
 fex, ad omnem honestatem finxit, *nis im-*
 formavitque: sed eius insuper ani- *butus.*
 mû doctrinis omne genus excoluit:

ijs

*Sacris
Litteris
Eccle-
siasticis,
Mona-
sticis.
Cur his.*

ijs in primis, quæ vel sacrosanctis lit-
teris, vel Ecclesiasticis, Monasticisq;
disciplinis continentur. Neque mi-
reris, dum audis, Illustrem Iuuenem
Monachorū scita doceri. Ita eâ tem-
pestate mos obtinebat. Ut quisque
maximâ nobilitate, opibusque pol-
lebat: ita maximè liberis suis Mona-
stiorū disciplinam expetebat. Ita-
que eos fere, quos cum S. LAMBER-
TO Sanctos vixisse suprâ indicavi; &
alios præterea plurimos, è Mona-
chorum disciplinâ prodijisse, Vitas
eorum legenti licet animaduertere.

*Prodigia
abLAM-
BERTO
Pueri
patrata.*

Antequâ ab Landoaldo ad Theo-
dardum transeo: locus monet, vt
quædâ referam à LAMBERTO, etiam
tum puero, supra Naturæ vires, diui-
nitus patrata, vt appareat, quibus gra-
dibus dilectū sibi Puerum in edita,
non modo Virtutis, & Eruditionis:
sed & Authoritatis, & Potestatis,
euexerit magnus DEVS.

Deerat Wintershouij Aedes sacra,
in quâ Sacrificiū, & quæ alia Diuina,
fierent.

fierent. Id eum LAMBERTO, atque Landoaldo molestissimum esset, ut quib. præ cælestibus reliqua omnia sorderent; A pro persuadent, uti ære suo exædificari iubeat. Cui operi dum impensius datur opera, artes ad Landoaldū frequētes cōeunt, queruntur, aquam improbam, & non nisi è fœdis paludib⁹ hauſtam, potui, aut cibus decoquendis minime aptam: remedium orant. At cum neque ille, neque eius Alumnus, ullam in humanis vel consilijs, vel præsidijs, spem affulgere cernerent: ad eum confugiendū decernunt, quem ex antiquissimorū Patrum historiā amaris lymphis dulcedinem indidisse; & ex aridā rupe copiosos latices elicuisse, meminerant.

Fusis itaque supplicijs, fide erecti, certum locum Crucis signo lustrāt, baculo describēte. Tum eum ipsum baculum in terram depangunt, foramenque efficiunt. Ex quo subito aquarum copia orta, quæ omni humano

*Ædes
sacra
extrui-
tur.*

*Aqua
caenosa,
impro-
ba:*

Optima
LAM-
BERTI,
O Landoaldi
precibus
efficitur.

mano vsui oportuna, hodieque &
DEI benignitatem, & Sanctorum
apud eum Authoritatem ostendit.
Hoc de Aquâ, illustre sanè prodi-
gium. Sed quod de Igni subijcio,
haud scio, an non etiam illustrus.
LAMBERTO vtique nostro eò glori-
osius, quod illi vni, post DEVM, vi-
detur assignandum.

Lubet illud referre ijs ipsis verbis,
quibus à Notgero Leod. Episcopo
conscriptum est in Vitâ S. Landoal-
di, nullo addito sermonis lenocinio.

Alio tempore, inquit, cum vsui
” necessario ignis deesse videretur, ac-
” citus à viro S. Landoaldo, Puer,
” (LAMBERTVS) ignem inferre iube-
” tur. Coepit idem imperio reniti, &
” cur statim iubenti non satisfecerit,
” palam fateri: Vas, inquit, Domine,
” quo ignis opportunè importeretur,
” deesse vides, & quo hunc modo in-
” ferri iubes? Promptus quidem tibi
” obtemperare mihi est animus; sed vt
” voris tuis contra ire videar, ipse vasis
cogit

cogit defectus. At pius pater, vbi hæ- „
 sitantis pueri animum persensit: Pla- „
 cetne, inquit, fili, paternæ iussioni „
 moram fieri, cum eâ, quâ te geris „
 veste, ignis satis commodè queat in- „
 ferri? Quâ Puer motus increpatio- „
 ne; cum prætereâ obediētix exem- „
 plo cogeretur, imperio Patris sanè „
 obtemperat, pauloque progressus, „
 ignem requirēns properat. Quo tan- „
 dem inuento, nihil adesse videns, „
 quo eum oportunius ferret, gre- „
 mium prunis ardētibus laxat, easque „
 nihil cunctatus, infra collocat, & ita „
 veste illæsâ, ad Patrem vsque de- „
 portat. Tunc vir Sanctus nouitatem „ *Ignem*
 miraculi secum altius considerare, „ *vestis*
 felicisque Pueri meritum, perfectio- „ *inno-*
 rum etiam non dubitat virtutibus „ *xio si-*
 comparare: quo quidem ardens ele- „ *ni ge-*
 mentum, naturam suam vel osten- „ *stat*
 dere timuit, vel omnino coactum „ LAM-
 est occultare. Ista Notgerus. „ BER-
 „ TVS.

Duobus hisce tam inusitatis Mi-
 raculis duo alia subiungo; sed sin-
 gula

gula verbis singulis, & breuius, quàm pro rerum magnitudine; quòd ea apud solum Aegidium reperio, & credibile vix videtur, ab Godeschalco, alijsque idoneis Scriptoribus, vel ignorari potuisse, si vera erant: vel fileri, si non ignorabant. Hoc, cum nobis decretum sit, nihil ex vano haurire, monere visum est. Fides esto penes eum Authorem, quem indicauit.

LAM-
BERTVS
*Infans
futur.*

Ait igitur, LAMBERTVM adhuc infantulum, & necdum sermonis compotem, nutricem aperto, & claro affatu monuisse, ne obliuisceretur, quod Mater domo egressa, fieri seridò iusserat. Hoc non nisi à Nutrice accipi potuit, quam fatetur Aegidius solam soli infanti tum adfuisse. Credet mulieri, qui volet.

LAM-
BERTI
*Nutrix
Virgo
caeca:*

Alterum multò etiam est admirabilius. Narrat, eam ipsam Nutricem, nobilem virginem Francisci generis, ab ipso ortu, utroque lumine cassam; cælesti Nuntio monitam,

vt Traiectum peteret, Apri Comitum
 filiolum recens editum, lacte suo
 alendum acciperet: futurum enim
 esse, vt cum diuinus Infans virgineæ
 eius vbera suxisset, & illa defluente
 lacte oculos perunxisset, fugatâ in-
 uisâ cæcitate, gratissimum Solis lu-
 men aspiceret: omnia hæc cum stu-
 diose Lina (id virgini nomen) ex-
 hausisset, & protinus vidisse, & In-
 fantem LAMBERTVM deinceps vir-
 gineo suo lacte aluisse.

*Alumnus
 beneficio
 videtur.*

Hactenus de LAMBERTI educa-
 tione penes Landoaldum Winters-
 houij agentem. De quo Landoaldo
 hoc ad extremum addam, illud ipsum
 Prædium Wintershouium ab Apro
 in perpetuum Sancto Viro donatum
 fuisse.

B

CA.

CAPVT III.

Consuetudo eius cum Theodardo, & robustiores cum atate Virtutes.

IGITVR è puerili Landoaldi disciplina egressus iam non puer, **LAMBERTVS**, Theodardo Episcopo, de quo supra verba fecimus, non magis Parentis Apri imperio, quam suâ voluntate adhæsit. Erat huius Antistitis Domus, quædam quasi Academia Virtutis, gratissimum eo nomine, **LAMBERTO** domicilium: erat tamquam Christianarum exercitationum laboriosum stadium, in quo currere inciperet ad beatam æternitatis palmam; cuius cursuræ apud Landoaldum iam antè rudimenta posuerat: erat denique gloriæ Amphitheatrum, vbi cum Superbiâ, cum Auaritiæ fordibus, cum Libidinis fæculento cœno, cum vanitatis laruis, cæterisque vitiorum monstris, horumque omnium parente, perduelli

LAMBERTVS
Theodardo adheret.
Huius Domus, Virtutis Schola.

perduelli Cacodæmone, alacer, & expeditus decertaret.

Operæpretium esse duco, Pugilis huius habitudinem, non animi modo, sed corporis etiam, describere, ex ijs hauſtam, qui propius ab eius ætate abſuerunt: ex Godeſchalco potiffimum, qui ſe profitetur, præque ex Thiedoëno, ipſius LAMBERTI domeſtico, accepiffe. Igitur refert ille, alijsque aliquanto poſteriores, fuiſſe corpore ingentem, ceſum, erectum: vultu decoro, & pleno dignitatis: viuacibus, & nitentibus oculis: cæſarie, quæ virum deceret, & nihil haberet de muliebri vanitate. Manus illi, & digiti longiores. Totum corpus ſibi per membra omnia ita conſtans, vt nihil vel ad maiestatem, vel ad firmitudinem requireres. Denique erat Poëtæ verbo,

*Candidus, & talos à vertice pulcher,
ad imos.*

Inerat in hoc tali corpore, & robur,

B 2

& agie

LAM-
BERTI
Iuuenis
corporis
habitu
do.

& agilitas, & actionum, motuumque omnium ea elegantia, ut cum omnia arte administrari crederes, nihil tamen affectatum iudicares. Iam sermo eius erat eiusmodi, ut teneret omnes, omnibus persuaderet. Non dicam cum illo antiquo, suadam in eius ore sessitasse; sed cum sacratione Vate, *Diffusam fuisse Gratiā in labijs eius.*

*Sermo-
nis gra-
tia.*

*Virtutes
eius om-
ne genus.*

Prædebat eius Sermo, & planè quidquid foris apparebat, virtutes, quæ in animo latebāt; & DEO, mentium Inspectori, & Arbitro amabilem reddebat, atque etiam carum hominibus, iucundumque. Ardebat in eo DEI, hominumque charitas: Fulgebat verecundæ castimonix splendor, qui Angelum magis indicaret quàm hominem: Animi demissio, quâto eum sibi concinnabat viliores: tantò DEI, mortaliumque oculis reddebat celsiorè. In egenos, nō tā liberalis videbatur, quàm profusus. Postremo, nō facilè vllius Virtutis

tutis laudē in aliquo sancto homine
reperias, quæ in LAMBERTO, iubaris
diuinioris instar, non effulgeret.

Occupationes eius quotidianæ, *Occupationes*
Oratio erat, & Lectio: in quarum *tiones*
alterâ DEVM sibi loquentem audie- *familia-*
bat; in alterâ loquebatur ipse DEO: *res.*
in utrâque diuinis è cælo epulis sagi-
nabatur.

Sed cum eius Nobilitas, & Comi- *Armorū*
tis Apri dignitas, vix à militiâ excu- *studium.*
satum habere potuerint; etiam Ar-
morum gloriâ illustrem fuisse re-
perio; sed hoc tantum, neq; quem-
quam, qui militaria eius aliqua faci-
nora referat. Mihi quidem eius Vitæ
institutum intuenti verius videatur,
ab armis abhorruisse, quàm ijs sese
efferre voluisse. Itaque si quid in eo
genere præstiterit, potius credide-
rim, dicis, morisq; id causâ fecisse,
quàm quod afficeretur.

Talem igitur LAMBERTVM, qua-
lem rudi penicillo adumbravimus,
in animo, & oculis ferebat Pontifex
B 3 Theodar-

*Theo-
dardo
carus
LAM-
BERTVS;*

Theodardus sicque afficiebatur, vt, tamquam filium, præ tot alijs carum, successorē cuperet. Neque dubium erat, si Ecclesiæ scita, & leges permississent, id vel protinus fuisse iussum vel certè testamento mandaturum.

*Eūdem
vicissim
obseruat
& imi-
tatur.*

At LAMBERTVS mutuū utique faciebat, & Theodardum, tamquam Patrem, & Magistrum, omni amore, & affectu, atque obsequio prosequēbatur. Eius non modo verba, & mandata, sed nutus omnes, & quod caput est exempla, tamquam diuini hominis, & quasi cælo lapsi, obseruabat, & quā poterat, imitatione exprimebat.

*Princi-
pi, &
Aula in
oculis.*

Quinetiam Princeps, & aulæ Proceres, vtrumque, tamquam humano fastigio maiores, venerabundè obseruabant: sed magis LAMBERTVM, id ætatis Iuuenem, & velut Solem vix Orientem, plus quàm meridianā lucem, caloresque mortalibus ostentantem.

Atque

Atque hæcenus ea, quæ de LAMBERTO è pluribus scriptoribus colligere licuit, cum fide tradidi, ijs de rebus, quæ ab eo ante Episcopatum gestæ sunt. Vbi prope abest, vt me pudeat, pigeatque, de tali Viro, ac tanto, tantillum retulisse. Sed quid agamus? Reputandum nobis, ijs temporibus vixisse, quibus scribenda facere, quã facta scribere, potius habebatur.

Pauca hæc, de LAMBERTO, necdum Episcopo, temporum iniuriâ.

C A P V T III.

Theodardus Episcopus ab impijs trucidatur: sufficitur LAMBERTVS.

THEODARDI necem, eiusque causas, suprâ tetigi, vbi de LAMBERTI Educatoribus, & Magistris mihi actum. Itaque Tungrensi Ecclesiâ Pastore viduatâ, substituendus erat, qui eam pasceret *in iudicio & veritate.*

Mos erat antiquitus, & ab ipsis Episcopascentis Ecclesiæ incunabilis, vt Apostoli primum, aut qui ab ijs cõ-

ps. varie & à varijs electis.

B 4

stituti.

stituti, Episcopos darent Christianis Ecclesijs, quæ vel nunquam habuissent, vel priorum morte spoliatae essent. Res postea loci non nihil mutauit. Nam vel Metropolita dabant, adiunctis quandoque Clero, & Plebe: vel Clerus sibi sumebat, rogatis etiam Plebis sententijs: Vel summus omnium Pastor, Pontifex Romanus, mittebat, aut nominabat. Postremo, hoc permittente, aut volente, ea Potestas Principibus cessit.

Qui cum frequenter abuterentur per libidinem, & Præsules non tam ex Populi, quam suo commodo, constitueret: Populus porro in perniciosas factiones scissus, prauo studio, schismata, quandoque & bella excitaret: omnibus coniuuentibus, solus fere Clerus, atque ut plurimum, Cleri Proceres (qui hodie sunt Cathedralium, aut Metropolitanarum Ecclesiarum Canonici) electione surrogabant.

Ergo è medio sublato in finibus
Wangio.

Wangionum, qui hodie Spirenses
 sunt, Antistite Theodardo: ardens
 studium Cleri, Populiq̄ue ad Re-
 gem Hildericum, fatagētibus simul,
 qui in viciniâ Episcopis, defertur,
 quo, vno animo, atque sententiâ,
 LAMBERTVM Tungrensi Ecclesiæ
 deposcebant. Accidit ea res Hilde-
 rico gratissima; quippe qui LAM-
 BERTVM pridem sibi probè notum,
 vt diuinum hominem suspiciebat:
 & eo nomine, eum & à secretis, & à
 consilijs sibi constituerat; suisq̄ue
 etiam Commentarijs præfecerat:
 Quo minus mirum, si toti Austrasiæ
 carus acceptusq̄ue erat, in quâ Hil-
 dericus imperitabat. Quin & Theo-
 doricus, Hilderici frater, cui ea Fran-
 ciæ pars parebat, quam Neustriam
 dicebant, LAMBERTVM in oculis fere-
 bat; & si quid maioris rei adgredie-
 batur, id non nisi eius consilio au-
 dito, faciebat.

LAM-
 BERTVS
 à Clero,
 ac Popu-
 lo postu-
 latur.

Quoniam Austrasiæ, & Neustriæ
 mentionem feci, quænam Prouin-

B 5 ciæ

*Que ori-
go vocū
Austra-
sia, &
Nets-
bria.*

ciæ tum sic dicerentur, breuiter in-
dicandum est. Vtraque ista vox, hoc
ipso S. LAMBERTI æuo, aut non
multò antè, natæ videntur. Vernacu-
læ autem potius sunt Germanis,
quam Latinæ. Illis Oriens, O S T;
Occidēs, W E S T vocitatur. Regnum
porro vocant R I K, siue R E I C H.
Vnde plenæ voces, quibus Regnum
Orientale, & Occidentale indicant,
sunt O S T R I K, & W E S T R I K. Eæ La-
tino sine sunt O s t r i a, & W e s t r i a, siue
W e s t r a s i a: quæ postea in A u s t r a s i a,
siue A u s t r i a, & W e s t r i a, vt fit, dege-
nerarunt. Sed cum Francis litterula
W. parum nota esset, ignoratione
factum, vt in N. formâ non planè
dissimile migrauerit: vt viri eruditi,
in quibz Ortelius, haud absurdè opi-
nantur. Hæc de vocibus satis: rem
ipsam iam videamus.

*Austria,
siue Au-
strasia,*

Nicolaus, Leodiensis Canonicus,
vicinus illorum temporum, AV-
STRIA, inquit, dicebatur ea pars Regni
Francorum, quæ à Burgundia, vsque
ad

ad mare Frisonum extenditur, & hinc
 Rheno, illinc siluâ Carbonariâ, seu
 Hannoniâ, concluditur. Porro NEV-
 STRIA, seu potius WESTRIA cõple-
 ctitur eam Regionem, quæ ab Rho-
 dano, & Sequanâ fluminibus, ad
 Oceanum, & Mare Britannicum
 vsque portenditur, vel Hotomanni
 verbis, ex veteri Chronico: NEV-
 STRIA est, quidquid à Parisijs, & Au-
 relianis interiacet, inter Ligerim, &
 Sequanam, inferius ad Oceanum. Sed
 ad institutam de LAMBERTI Episco-
 patu, narrationem iam reuertamur.

Neu-
 stria, vel
 Westria.

Conspirantibus igitur Populi, Cle-
 ri, Antistitum, & Principis volunta-
 tibus, solus ipse dissentiebat; solus
 horrebat, quod ei omnes cum plau-
 su deferebant: & cum eam omnes
 dignissimum vnum eo munere iu-
 dicarent; ipse ineptissimum se præ-
 dicabat. Vrgētibus nihilominus hæc
 opponebat: Sacerdotem esse debe-
 re terræ salem; se esse insulsum: me-
 dium DEVM inter, & hominem; se à

LAMB.
 contra
 oblatum
 Episco-
 patum
 rationib.
 frustra
 tendit,

DEO

Deo abesse quàm longissimè, & ex infimâ hominum turbâ humuncionem: *corripere quosuis aberrantes; at semet aberrare quàm frequèntissimè, habereque opus vt ab alijs corripia- tur: Angelum denique, DEO perpetuo adstantem; cum ipse vermiculus per terram suam reptaret. Verum non esse, vt cum tot essent ad formidandum illud Munus idonei; ijs ipse vsquequaque imperitus præferretur, atque etiam præficeretur. Si nihil aliud, cogitarent ætatem suam, quæ intra adolescentiam hæctenus staret, ac penè pueritiam: & cum Sacerdotis esset, omnes docere, omnes hortari; sibi tamen dicere licere, quod magnus Propheta, ab ipso Deo loqui iussus, vsurpasset: A. A. A. Domine DEVS, ecce nescio loqui, quia puer ego sum.*

Alys meliores afferentibus. At illi contrà tendentes, vicissim ita dictitabant, Frustra illum conuictia in seipsum cõgerere, cum neque illi crederetur; & potius illa animi demissio

demissio eorum desiderium vehementius accēderet: & deniq; omnia illa, vt vera essent, magnum animarum Pastorem Christum impedire non posse, quo minus consilium suum exequeretur; quippe qui è deterrimis optima efficere posset. Dubitandum non esse, totum hoc à Diuinâ voluntate proficisci, quæ Populo, Clero, Præsulibus, ac Principi ipsi eam mentem iniecisset. Videret, si peruicacius abnuere pergeret; ne eidem cælesti voluntati se opponere videretur. Nam quod de ætate tamquam palmarium, obtenderet; debere ipsum meminisse, DEO vernaculum esse, & *Infantium linguas facere disertas, & ex ore infantium, & lactentium perficere laudem:* atque illum esse, qui Danieli puero dederit honorem senectutis, & inueteratos dierum malorum senes iudicare eum iusserit. Etiâ hoc, Prophetam, quem Authorem afferat, audiuisse: *Noli dicere, Puer sum, quia ad omnia, quæ mittant*

mittam te ibis, & quæ mandauero tibi, loquæris. Quod igitur felix, faustumque esset, capefferet sacrum Principatum, à cælesti numine haud dubiè sibi demandatum.

Ergo cedit, & Episcopatum capeffit;

Hæc vehementer etiam, atq; etiam à Cleri, & Aulæ Proceribus inculcata, fecerant, vt LAMBERTVS primum animi incertus esset: tum ad extremum DEO cederet, & Theodardi optimi Magistri Cathedram occuparet, Episcopatusque oneri humeros submitteret. Qui hæc legit, rectè iudicabit scripsisse Agidium, LAMBERTVM raptum potius ad Episcopatum, quam electum.

Tum Adolef- cens con-secra- tur.

Igitur conveniētibus vicinis Præfulibus, vt in tali negotio fieri assolet, ritè consecratur, anno ætatis suæ vicesimo primo. Quo loco, monendi mihi mei Lectores videntur, ne fidem abrogent, atque ita dicant, parum id vero simile videri, & abhorre ab Ecclesiæ perpetuis moribus, quæ eiusmodi sacros Magistra-

tus

tus adolescentibus id ætatis committere non solet. Sed utique DEO, ne Ecclesia quidem legem imponere potest, aut debet. Scio, id obtinere in vniuersum. Cæterum vbi Is iubet, cuius obsequijs Episcopi destinantur, nostrum est, non humeros modo supponere, sed & iudicia, & opinionationes deponere. Quis nescit, Prophetiæ diuinum munus non solere pueris conferri? Cum tamen illi visum, & Samuelem, & Danielem, Prophetas, & quidem eximios, veteri Synagogæ dedit: è quorum ore, non minus, quàm alicuius Sexagenarij, solemne illud sonabat, & cum auctoritate: HÆC DICIT DOMINVS.

Nec desunt exempla in posteriore, & sanctiore Testamento. Certè Remigius Episcopus, magnus ille Galliarum Apostolus, id dignitatis, annos non amplius viginti duos natus, cōsecutus est. Et, ne dubitares, rectè id factum, an secus; Episcoporum, Populique suffragijs accessit diuina

Autho-

De aetate Episcopatus idonea.

Remigij Exemplum.

*Divini-
tus con-
firmatū,*

Authoritas: duplici prodigio publi-
citus promulgata: cum & celestis lu-
minis radius eum collustravit: & sa-
cri vnguinis infusione delibutus est.

CAPVT V.

*Episcopalis sollicitudinis primordia:
Theodardi Martyris Corpus
Leodium deportat,
& sepelit.*

QVANTO enixius egerat LAM-
BERTVS noster, vt ne ei onus
Angelicis humeris formidandum
imponeretur; tantò maiore animo
vires omnes contendit, vt imposi-
tum, quemadmodum seque, & illo
dignum erat, gestaret.

Saris gnarus erat, qui alijs viæ Dux
datus sit, cum oportere & viæ appri-
mè esse peritum, & eandem ipsam
viam ijs præire, quos ducit. Itaque
seipsum præ omnibus sibi commen-
datis respicere, se curare, se excutere,
se primū se idemtidem hortari & ad maiora,
curat. & me-

& meliora vrgerc: in orationibus, & supplicijs assiduus esse, cælestis gratiæ rorem auidè haurire, & in reliquos liberaliter effundere. Spongiam diceret, canalis os occupantem, lympham eius omnem excipiètem, & sic in alios eructantem, vt & prima limpidos latices excipiat, & cum ijs reliquos irrigat, ipsa tamen nunquam non eodem humore madeat.

Ibat ille toto animo in ista, & iam gregem vniuersum circumspiciebat, singulasque ouiculas; quò sanas *Tum & suos.* conseruaret, æ gras sanaret, palantes reduceret, debilibus caritatis humeros supponeret; denique omnes beatis diuini Verbi pascuis aleret, saginaretque.

Sed dum hæc maximè agit, ingens *Theo-* cura animum coquebat, reputantis, *dardi* æquum nõ esse, vt ita gregem pasce- *piè me-* ret, vt interea Pastoris eum caperet *minis.* obliuio. Idètidem recurrebat Theodardi Magistri, & Pastoris sui memoria, & ob oculos perpetuò versabatur

C

batur

*De eius
Sacro
Corpore
referēdo
cogitat.* batur miserabilis species innocētissi-
mi Antistitis, tam atrociter ab impijs
trucidati: neq; vllam quietis partem
sibi capere posse videbatur, donec
illi, Christiano ritu iusta persoluisset.
Id, cum obtineri non posset, nisi Spi-
renses corpus Martyris restituerent;
plus negotij erat, quam primâ fronte
cogitanti videri posset.

*Id piâ
perma-
ciâ Spi-
renses
retinēt.* Wangiones tantum bonum non
censebant amittendum, cum ita di-
cerent, Diuinæ Prouidentix confi-
lium fuisse, vt Vir eâ sanctitate in fi-
nibus potissimum suis obtruncare-
tur; eum vtique eo ipso Patronum
sibi attributum, & æternum præsi-
dium: quo si se spoliatum irent, non
modò parum prudentes, sed & impij
merito iudicarentur. Itaque LAM-
BERTVM, sacrum illud pignus repe-
tentem vacuum dimittunt. Quivis
alius desperasset. Sed LAMBERTI in-
uictum pectus, ex Palmæ ingenio,
quanto plus premebatur, tanto affur-
gebat magis; & malis nunquam ce-
dens,

dens, audientior contrà ferebatur. *Urget;*
 Accingit igitur se secundo itineri: & *& secūdo*
 Deo fretus, qui eam ipsi mentem *do itin-*
 iniiciebat, preces iterat, magistrum *ri se dat*
 discipulis, Pastorem gregi, Ecclesiæ *LAMB.*
 reddi postulat Episcopū. Illi, iterum
 atque iterum obtendere, quæ supra
 diximus: fuisse olim Tungrensem;
 nunc Spirentem esse Theodardum:
 neque illis adeo ægrè esse debere, si,
 cum eo viuo diu fruii essent; ipsi
 iam fruerentur mortuo. Postremò,
 Diuinitatem ipsam, hanc totam con-
 trouersiam diremisse: cui si non ac-
 quiescerēt, eccui tandem acquiesce-
 re inducerent animum?

Sed hæc, aliaq; id genus, tamquam *Perstat,*
 tempestuosi maris fluctus, excipie- *& iure*
 bat LAMBERTI inuictus animus, vt *vinet,*
 immota rupes, orabatque, illud se-
 cum reputarent, Non debere illos,
 impiissimorum grassatorum trucu-
 lentissimum post homines natos,
 latrocinium, Diuinitatis decretum
 interpretari. Quid denique multis

moror? Vicit tandem ratio, vicit pietas, vicit, vt par erat, LAMBERTVS, & dilecti Magistri caras Exuuias obtinuit.

Funerē pompam reducēdo Corpori instituit. Itaque funebrem pompam, pro eâ, quâ potuit, copiâ, adhibitis, quos secum è Clero, atque Populo, duxerat, instruit, & sacrum Corpus, mixtis lætitiâ planctibus, reducit.

Legia id temporis humilitas. Erat eâ tempestate Legia, (Leodium nunc vulgò dicimus) modicus vicus, aut, vt Authores ijs temporibus proximi vocant, villa ignobilis in valle perquam amoenâ: adeo, inquam, ignobilis, & ignota, vt aliquanto antè, Sanctus Monulphus, Tungrensis Episcopus, in proximo degens (Traiecti habitabat) ac sæpe transiens, eius vocabulû ignoraret.

Sacellû ibi à S. Monulpho extructû. Is, captus amœnitate loci, diuinitus etiam edoctus, Florentissimam aliquando ciuitatem futuram; Ecclesiam modicam inibi ædificauerat, & DEO, ac honori SS. Martyrum Cosmæ, & Damiani, dicauerat. Se-
cessus

cessus erat honestæ animi remissioni, ac simul pietati oportunissimus ijs, qui in viciniâ habitabant. Haud absurdè suspicemur, Martyrè Theodardum, eo, dum viueret, delectatum, eoque nonnunquam LAMBERTVM, alumnum suum, deducere solitum. Certè LAMBERTVS ipse locum ita adamauerat, vt in eo sanguinem, vitamque fundere illi lubuerit: quemadmodum in tempore memorabo.

Hoc in loco Theodardi sacrum Corpus tumulare placuit: atque ad eum deinceps magni piorum concursus, beneficia à DEO, & eius Martyre petentium, fieri cœpti sunt.

*In eo
LAMB
Theo-
dardi
exuvias
condit.*

CAPVT VI.

Seriò Episcopatus negotia tractat:

*Omnibus gratus, Regi in
primis, efficitur.*

COMPOSITO sancto Antistite Theodardo, eo pietatis officio perfunctus LAMBERTVS, seriò iam

C 3

Episco-

LAM-
BERTVS
*serio E-
piscopu
agit.*

Episcopum agere instituit. In vni-
uersum igitur Gregē oculos conij-
ciens, omnes amore complecti,
omnibus curam adhibere, omnes
hortari, monere, mouere, & pro-
mouere: pauperibus maximè, & op-
pressis omni ope, & operâ adesse,
necessaria vitæ vltro, & liberaliter
præstare; opprimentes, & quoquo
modo alijs officientes, compescere;
nihil reliqui facere curæ suæ, & o-
mnibus quidē, sed sibi ipsi nunquam
satis facere.

*Taxan-
dros
Idolis
deditos,
erudire
instituit.*

Inter hæc, animum subiit, esse in
viciniâ, qui Cacodæmoni, Idolo-
rumque v&sanix addicti (in Taxan-
driâ maximè) de Christianâ Reli-
gione, vel nihil inaudissent, vel audi-
tam insuper habuissent. Hos etiam
mente, & beneuolentiâ complexus,
parabat in Domini sui Ouile com-
pellere. Et iam coeperat, cum Aulæ,
& Regni negotia manum velut inie-
cêre. Hildericus Rex, iam antè LAM-
BERTO vehementer addictus, cum

*Hilde-
rici Re-*

in dies virtutibus nobiliorem, & ob
 virtutes, omnibus cariorem fieri, *gis bene-*
 famâ vulgante, audiret; ipse quoque *uolentiâ*
 eum magis, ac magis amare, colere, *impedi-*
 beneuolentiâ suâ honestate, ad regni *tur.*
 negotia, inuitum licet, adhibere; in
 quâ nihil ratum esse, cui LAMBERTI
 non accederet authoritas.

Neque intra Austrasiam se con- *Clodouei*
 tinuit fama virtutum S. Pontificis. *item*
 Certè Clodoueus Francorum Rex, *in eam*
 Priuilegio eum honestans, quod pro *fauor.*
 Matris DEI Ecclesiâ postulauerat;
 non satis habet, vocare Episcopum,
 sed Patrem quoque appellat, &
 APOSTOLICVM Virum.

CAPVT VII.

Ebroini operâ Francia turbatur:

Episcopatu LAMBERTVS
eijcitur.

FLOREBANT vt cum maximè,
 tum Regni res, tum etiam Ec-
 clesiæ. Mare diceres tranquillum, pa-

C 4

catum,

*Ebroi-
nus Re-
gnum, &
Ecclesia
urbas.*

catum, Alcedonia vndique. Sed Ebroinus in eâ Franciæ parte, quam Westriam dicitari suprâ retulimus, tamquam importunissimus Eurus, aut procellosus Africus, eam tranquillitatem sic mutavit, eos ab imo fluctus movit, vt & fœdo naufragio Reges haurirentur: & Ecclesia eodem pene infortunio inuolueretur. Et Reges quidem otio, & delicijs turpiter dediti, aut etiam mersi; ventri, ac ludis totos se addixerant: Proceres, ij maximè, qui Magistri Palatii dicebantur, Regnum pro libidine, sine vllâ moderatione, moderabantur. Vbique contumeliæ, exilia, proscriptiones, cædes. Hæc omnia Ebroini vâfani hominis operâ potissimum, & furore patrabâtur. Non alienum abs re facturus videor, si pauca de hoc Ebroino attulero, vt appareat, quàm non ab innocente homine LAMBERTI innocentia oppressa fuerit.

Ebroinus itaque nullis bonis artibus,

bus, sed barbaricâ tantum crudelitate nobilis, potentiâ tyrannica fretus, hoc sibi potissimum habebat studij, vt Principes, & Sanctos viros opprimeret, & conculcasset, adeò, vt nec ipsis Regibus parceret. Itaque factiosus ipse, noxiorum factionem perpetuò circa se paratam, & excubantem habebat. Si quis erat inops, vagus, ære alieno oppressus, priuatim, aut publicè exosus: si quis eò redactus, vt nusquam illi salus, nisi in proborum, & rei ipsius publicæ interitu: horum demum operâ, & audaciâ abutebatur. Iuuabatur in perniciosis suis consilijs, illâ, quam dixi, Regum ignauitâ, atque socorditâ. Nihil illi, & eius satellitio, in ore frequentius, quàm, Certaminis aduersa pro dominatione, & imperio, fortibus viris potiora esse, quàm omnino non certauisse. Melius habebant, mercede delinquere, quàm gratis rectè facere. Sic scelestum bonis imponebant seruitium. Parum est

*Ebroinâ
pessimâ
artes,*

C 5

serui-

feruitium : mori cogebant eos omnes, quorum vitam suis latrocinij, ob stare iudicabant. Denique quantis animis irent in ipsos Reges, visum est, cū Theodoricus Neustriæ Rex, propter Ebroïni impotentem tyrannidem in Monachum attonsus, Parisijs in D. Dionysij Monasterio inclusus est; & Hildericus ex Austrasiâ euocatus, eius loco regnare iussus; ipse Ebroïnus, qui item adrasus, in Luxouium cōpactus fuerat, inde egressus, renouatis furoribus, in Theodoricum irruit; qui, Hilderico, eiusque vxore Blitilde prægnante à Bodilone quodam, obtruncatis, Regno restitutus fuerat: Theodorici loco, impostorem Regno præfecit, Clodoucum nomine qui dictitaret, se Lothario Rege gnatum. Neque his contētus impius Ebroïnus, Theodoricum Regem (à quo in gratiam fuerat receptus) eò adegit, uti Synodum Episcoporum cogitaret, in quâ multos sanctos Præsules damnari

& in
 Episcopos;

nari iussit, dignitate priuari, & non paucos eijci in exilium. Quidam etiam ab eo interfecti, atque adeo immanem in modum excruciatu ob virtutem, Christi Martyres effecti. Ut ex vno de reliquis iudicium facias, Leodegarium vt vitâ exturba- uerit, paucis memorabo.

Erat hic Augustodunensis Epi- scopus, cuius potissimum operâ ex- stimabat Ebroinus, se Monachum profiteri compulsus. Tam est ne- quitia, nō modò timida, sed & suspi- cax, & in vindictam prona. Eum igi- tur fame primū, & fœdi carceris squalore diu maceratum, oculis priuauit. Tum plantas concidit, lin- guam, & labia excidit, ac sic mutila- tum viuere voluit, ne Martyrij glo- riâ clarus haberetur. Sed cum vel lingua, & labia diuino auctu, pristi- num modum recipissent; vel illis or- bus sanctus Vir, nihilo secius loque- retur, cælestemque doctrinam lon- gè, ac latè profeminaret: in rabiem

actus

*in Leo-
degariū
maxi-
me,
quem
varie
excruc-
iatum,*

*neci de-
dit.*

actus cruentus tyrannus, caput de-
mum iubet à cervicibus rescindi. Fa-
ctum id in Syluâ Atrebatum, quæ
hodieque S. Leodegarij dicitur. Sic
Martyr non ipse modo clarus, nobi-
lisque euasit; sed & locus, qui eius
sanguinem bibit. Ad S. LAMBERTVM
iam à S. Leodegario redeamus.

*Tum
LAM-
BER-
TVM
pridem
sibi inui-
sum ag-
gredi-
tur,*

Hilderico Regi intimè coniu-
ctum fuisse LAMBERTVM, supra in-
dicauimus. Ebroinus igitur, memor,
se Hilderici potissimum voluntate,
& imperio in Luxouiû fuisse retru-
sum, ratus LAMBERTI id consultu fa-
ctum, sine quo nihil fere maioris rei
Rex aggredi suctus: neque illo inco-
lumi, se stare posse; eum, cum inter-
ficere vel non posset, vel non aude-
ret; at certè de Dignitate, & autho-
ritate dei jcere, bonum factû censuit.

*per Pha-
ramun-
dum sa-
crilegû.*

Et, vt ad pessima flagitia pessimis
satellitibus vti erat solitus, vnum
præter cæteros, huic facinori oportu-
num sibi adiunxit. Pharamundus
quidam erat, Coloniensis Ecclesiæ

Cle-

Clericus, homo flagitijs omnibus
 coopertus. Hunc Authores certatim
 nigerrimo, vt sic dixerim, carbone
 depingunt. Aiunt, eum sacrorum
 omnium Canonum calcasse reue-
 rentiam: vocāt animarum latronem,
 Ecclesiæ publicum prædonem, Sa-
 cramentorum temeratorem: indi-
 gnantur, violasse Sanctuarium, pro-
 fanasse Sacerdotium, confudisse Re-
 ligionem, captiuasse ipsam naturam;
 nullum facinus execratum, nullum
 scelus reliquisse intactum. Denique
 inculcant, non alio exemplo clarius
 vnquam apparuisse, quid illud sibi
 velit magni Magistri effatum: *FUR*
non venit, nisi ut furetur, & mactet, &
perdat. Hæc illorum verbis malui re-
 ferre, quàm meis. Hunc ergo Furem
 Pastori optimo LAMBERTO placuit
 esse succedaneum.

Sed Pharamundus, vrgente licet *qui Ara*
 Ebroino, non facilè destinata perfici- *chiepisc*
 ceret, nisi & sacri alicuius hominis *copi Cœ*
 accederet authoritas. Archiepisco- *loniens*
 pus *operâ*

LAM-
BERTO
suffici-
sur.

pus Colonienſis, proh nefas! non
authoritatem modò interpoſuit: ſed
& ſacrilegas pecunias commodauit,
liuore atque inuidiâ in ſanctum
Præſulem percitus. Hoc maxime
agente, impijs largitionibus cæcati
Primores populi, LAMBERTVM pel-
lendum; Pharamundum in eius Ca-
thedrâ collocandum decernunt.

C A P V T VIII.

*Prædoni Pharamundo Episcopatum
cedens, Monasterio Sabulaus se inclu-
dit: Virtutum exempla inibi
ab eo edita.*

ALIVS quiuis LAMBERTO diſſi-
milis, è tanto ſaſtigio deturba-
tus, queſtibus, & lamentis muliebri-
ter indulſiſſet. At ipſe ſui compos,
animo non ſolum æquo, ſed & hila-
ri, lubens Magiſtratum depoſuit,
quem ſibi adeò inuito, & repugnan-
ti ſciret impoſitum. Quam ſapienter
ille pronuntiat, qui ait: *Non con-
triftabit*

tristabit Iustum, quidquid ei acciderit!

Planè LAMBERTVM Iustitiæ rigi- LAMB.
 dum cultorem non contristavit tam *contu-*
 indigna contumelia: sed potius lætus *meliam*
 eâ occasione, DEO, ac sibi liberius *bilarius*
 vacandi, eam vltro arripuit. Vna co- *accipit.*
 gitatio pium coquebat animû, Oves *De oni-*
 sibi eatenus tam caras, tam sollicitè *bis, quas*
 diuini Verbi, & salutaris exempli læ- *relictum*
 tis pascuis saginatas, iam lupo Phara- *ibat ta-*
 mundo prædam dari. Sed conscius *rum so-*
 sibi, nullo suo flagitio, aut errore id *licitus.*
 fieri, quod vnum licebat, Christo Pa-
 stori optimo eas commendabat.

Postquam vulgatum, LAMBER- *Populi*
 TVM meditari abiturum, & iam instare; *in eius*
 dictu non est credibile, quæ tristitia, *migra-*
 quis dolor omnium animos percu- *tione is-*
 lerit. Vbiq; lacrymæ, gemitus, com- *ctus,*
 ploratio, Patrem, Pastorem, Tuto-
 rem inclamantium. Quod in poste- *Querela*
 rum viduis, pupillis, per vim op-
 pressis perfugiû? quem moerentium
 futurum consolatorem? quem ege-
 norum subleuatorem? cui curæ fu-
 turam

turam iuuentutis instructionem? cui Paganorum conuersionem? Hæc, aliaque, quæ iustus dolor ægris animis suggerebat, flebiliter, vel domi quisque suæ vel palàm per compita mutuò inculcabant. Tum ad indignationem versi, Pharamùdum contumelijs onerabant, conuitijs inceſſebant; pro tutore sibi latronem; pro patre peremptorem; de pastorem pro Pastore obtrudi, liberrimis vocibus quiritantes. LAMBERTVS cunctos amicè, facundèque solatus, tum alia leuandæ ægritudini; tum illud ingerebat, *Non esse abbreviatam manum Domini, ut saluare nequiret.* Itaq; expectarent, dum imperaret ventis, *Et mari, Et fieret tranquillitas magna.* At illis ægrè acquiescentibus, LAMBERTVS nihilo secius profectioſi se parabat.

*Conuitia
in Pharamu-
dum.*

LAM-
BERTVS
mæstos
solatur.

*Stabu-
laus, So-
litudo
horrida.*

Locus est Traiecto haud procul, cui, quòd feræ vndique concurrentes, ibi Stabulari videbantur, Stabulaus nomen vicini indiderant: hodie Stabu-

Stabuletum dicitur. Erat non ita multò antè inter vastos & confragosos Arduennæ saltus, horrens, & squalidus; non segetibus, non arborib. pomiferis aptus, non pecori alendo: denique nullis humanis vsibus idoneus. Eum locû Remaclus, alter ante S. LAMBERTVM Tungrésis Episcopus, solitudinis studio adamantat, ædificato inibi, Sigeberti Regis munificentia, Monasterio: in quodum ipse Remaclus, tum alij multi Sancti viri, asceticis pietatis disciplinis insignes euaserant, clarique. Et durabat etiamnum (rarum mortalibus decus) primæuus Religionis vigor. Hic secessus LAMBERTO præ alijs placuit. Meminerat videlicet cælestes illas delicias, quas cum dilectissimo Magistro Landoaldo Wintershouij expertus erat: eoque anhelabat, vbi eas ex interuallo regustaret.

Aderat profectioi dicta dies: & LAMBERTVS, ex domesticorum D omnium

*Monasterium
ibi à S.
Rema-
clo con-
ditum.*

*LAM-
BERTVS
eò anhe-
lat.*

omnium numero duos dumtaxat deligit: quorum alteri Thiodoëno nomen fuit, vt iam alibi dixisse memini. Cum his iter ingredi parabat, cum noua existunt prælia à Clero, populoque Traiectensi. Turmatim concurrunt: quoad possunt, fatagunt, vt eum retineant, aut certè comites sese offerunt, identidem inculcantes, quisque pro suo affectu, confusis vocibus clamitantes: *Cur nos deseris, Sacerdos sanctissime? cui oues tuas committis, Pastor optime, pastor vigilantissime? Quis deinceps pro nobis ad DEVM preces fundet? quis luporum arcebit insidias? quis truculentam rabiem? Quis verbo, quis opere nos cõfirmabit? Tu destitutus eras solatium, carceratis pretium, ieiunis alimentum, nudis operimentum. Vel mane, vel nos in omnia, quamuis aduersa, tecum rape.* At ille, cui sedebat potentiorum furori tantisper cedere: omnes, & singulos solatus, hortatusque, vt præsentem calamitatem, DEIQUE VOLUNTATEM,

*Clerus,
& Populus re-
tinere
tentant.*

*Eorum
voces:*

*Quibus
surdus
LAMB.*

luntatem, æquo animo tolerarent: sublati manibus, Crucis imagine illos consignans, lacrymantes, ipse lacrymis infusus, dimittit, æ grè discedentes, & quamdiu licuit, quem pedibus non poterant, oculis sequentes.

Stabuleti interea Archimandrita cum Socijs, auidè, diuque præstolati: ubi aduentare nuntiatur; obuiam effusi, pedibus eius aduoluuntur; exilio quidem eius ingemètes; sortì autem suæ gratulantes, eumque ut Christum ipsum rectis excipientes, lætumq; illud carmen ingeminantes: *Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Angelum, non hominem, excipi dices.

LAMBERTVS vicissim desideratum secessum ingressus, exultare gaudio, ut si cælum ipsum iam iniisset: cunctosque spectare, ac reuereri, ut celestes Spiritus: Abbatem, vice DEI suspicere, illi se submittere, & enixè orare, ut velut vnus ex illo sancto grege haberetur: *Ne me, inquit,*

D 2

Pater

*Stabulati
ut excipiamus*

LAMBERTI
*inibi bilaritas,
& pròtamen.*

Pater optime, ut Episcopum censeas: consignata in DEI manus ea dignitas est: lubens, ac lætus vel in omnem vitam abstinero; vel quando, & ut illi videbitur, repetam. Hoc tempus monet, ut non modo te, sed & omnes filios tuos, ut dominos meos colam, singulis futurus obsequiosus. Tu vero, Pater, ut discipulum, & famulum habeto; impera, rege, doce, instrue; & quoties opus, corrige, & pœnas irroga: habebis in omnibus obnoxium. Hoc, si me hilarem vivere cupis, sine à te impetrem, & iam nunc pollicere; sitque pignus istud tui in me perpetui amoris.

Abbas ad tam inopinatum postulatum obstupuit scilicet, secum reputans virum genere illustrem, opibus florentem, numeroso seruitio stipatum, & quod caput, Episcopatus gradu sublimem, minimè pro reliquorum mortalium more eam abiectionem sic adamare: neque quamuis illi volèti esset, pro decore futurum, si supplicanti annueret.

Itaque

Iraque eum orare, meminisset, quis ipse, & quinam Stabulenses Ascetæ essent: vitio ijs vertendum; si illud non meminissent, *Non esse servum supra Dominum*: imperaret potius ipse omnibus, vt res ipsa postularet; illis gloriam satis magnam relinqueret, obsequium. Sed post sat longam, at religiosam altercationem, obtinuit tandem LAMBERTVS, vt pro discipulo à tali Magistro reciperetur.

Occurrit, quod haud scio, an satis commodè hoc loco referam. Intererat LAMBERTVS noster, cum S. Vedasti Exuuiæ ab Atrebatensi Pontifice Auberto, in augustiorem locum, honoris ergo, transferrentur. Aderat & Audomarus Teruanensis, qui cum pridem, senio vrgente, oculorù vsu viduatus esset; LAMBERTI, cæterorumque precibus, ipsiusque Vedasti meritis, repètè reluminatus est. Verum ille, qui cecitatè, vt DEI donum, salutis consequendæ aptissi-

D 3 mum,

mum, caram, iucundamq; habuisset: molestè ferens solis huius lucem, quæ impedimento videretur esse iu- bari Solis Iustitiæ percipièdo: enixè DEVM precatus; vti illâ carere lice- ret; pristinis tenebris redditus est. Episcopos Ecclesiæ oculos esse, vel ipsa nomenclatura doceat: nam Epi- scopus est, quasi Inspectorem dicas, vel Intendètem. LAMBERTVM inui- tum Episcopalis Oculis fuisse do- natum, suprâ ostendimus. Credide- rim DEVM precibus, si fas dicere, fa- tigasse, donec tandem voti compos, eos oculos vel amisit; vel tamquam exemptiles, ad tempus seposuit.

LAM-
BERTVS
ex Epi-
scopo
Mona-
chus, &
cuius-
modi.

Habemus iam LAMBERTVM, ex Episcopo Monachum. At qualem Monachû? planè qualis fuerat Epi- scopus, id est, Perfectum. Ostendit iam à principio, seriò se postulasse, vt omnium minimus haberetur. Ta- lis ipse sibi erat, talem se alijs exhibe- bat. Nemo verbis explicet: imò ne- mo centesimâ ex parte assequatur, quæ

quæ fuerit huius emeriti iam Epi. *Eius*
 scopi, noui Monachi, virtutis exerci- *Virtutis*
 tatio. In DEVM ita raptus erat, & ab- *Exerci-*
 sorptus, vt nihil rerum creatarum *tia.*
 curare, nihil nosse videretur. At vi-
 cissim ita fraternæ caritati dulciter
 quidem, sed sollicitè sese dabat, vt vix
 otium de DEO cogitandi habere di-
 ceres. Orationes eius ardentes & as-
 fiduæ eū iam inter Seraphinos con-
 stituebant, suâ licet circumdatum
 infirmitate. Ieiunia, vigiliæ, carnis
 reliquæ afflictationes, corpusculum
 ita exhauserant, vt non nisi pellis &
 ossa esset miserâ macritudine. Præ-
 sidis non iussus tantum, sed & nutus
 omnes, & sollicitè, & solerter obser-
 uabat animo: & reapse accuratè ex-
 hauriebat. Sed potissima eius cura,
 & solatium, erat Sacrificium, in quo
 Agnus offertur, qui *occisus est ab ori-*
gine mundi. Ipse quoque se cum eo
 quotidie mactabat, Sacerdos, & Sa-
 crificium. Sic, quod operâ præstare
 ouibus coràm non poterat, absens

apud præsentem ubique DEVM
præstabat.

Pauca Iterum iustè hîc querat, fuisse illa
deLAM- tempora tam sterilia scriptorum, vt
BERTI cogar totum septennium transire si-
hoc ce- lentio; neque esse aliud, quod refe-
cessu, à ram, quàm illa pauca, quæ indicavi,
scripto- intra tot annos, quibus claram illam
ribus lucernam dicere liceat, *absconditam*
tradita. fuisse sub solitudinis tanquam modio:
cum dubium mihi non sit, Solem
fuisse clarissimum, sed cuius radij,
vel in beato illo secessu tantùm spar-
gerentur, vel si & extrâ, nube densâ
regerentur malignæ taciturnitatis;
quæ nobis non nisi tristem noctem
reliquit ignorationis. Vnum modò
facinus Heroicum memorarunt,
quotquot eius vitam, quamuis ieiu-
nè, conscripserunt: quod me quoque
non sit fas præterire.

CA.

CAPVT IX.

*Insigne religiosæ submissionis, &
Patientiæ documentum.*

SCITVM est, ijs, qui Monachorum
 nomine societatem coiêre, ab
 reliquorum hominum conuictu re-
 moti; exercitationes quasdam esse à
 communi mortalium vitâ, vsuque
 valde abhorrentes, quibus vel Nu-
 men suo quodam peculiari institu-
 to colunt; vel Præsidibus obsequun-
 tur, sociosue obseruant, ac reueren-
 tur, vel libidines quisque suas coër-
 cent, & in eas acrius animaduertunt.
 Eo in genere, vt alia taceam, est pro-
 fundum, ac perpetuum penè silen-
 tium: non id modò, quo verbis, col-
 loquiisq; mutuis parcitur: verum
 etiam, quo strepitus quiuis, vt animi
 quieti parum amicus, studiosè caue-
 tur. In his omnibus, si quis peccasse
 deprehendatur, licet imprudens, &
 innoxius: poenam, quam visum fue-

*Monachorum
instituta:*

*in quibus
silen-
tium.*

D S

rit,

58 VITA S. LAMBERTI
rit, ei irrogare, Moderatorius, mos-
que est.

*Cruce,
ad quam
pena
exacte.*

Erat Stabuleti, in arcâ patenti
cælo expositâ, Crucis signum è lapi-
de, ad quod supplicij nomine, missi-
tabantur, ibique persistere, iubeban-
tur, Deoque, quoad reuocarentur,
preces fundere, qui quoque modo
deliquissent.

*LAM-
BERTI
Vigilia
noctur-
na.*

*Ob for-
tuitum
strepitum,*

Fors fuit, an Providentiæ Cæle-
stis decretum? ut ea Crux, inusitato
LAMBERTI virtutis exemplo nobili-
taretur. Id hunc in modum euenit.
Solebat ille reliquorum Ascetarum
sacras vigilias, diuturnas alioqui, in-
tempestæ noctis silentio, religioso
furto præuenire. Accidit igitur ali-
quando, ut de more excusso matu-
rius somno, ad solemnem orationis
locum anhelâs, per densas tenebras,
oberrante manu, sandalia palpabun-
dus quæreret. Quorum alterum cum
fortuito, ut fit, in solum decidisset,
modico strepitu excitato, Abbatem
aduertit. Qui mox, inscius, cui præ-
ciperet,

ciperet,

ciperet, *Ad Crucem* ire iubet, cuius *ad Cru-*
 id culpâ euenisset. LAMBERTVS, *cē m. f-*
 tamquam si iucunda mandarentur *sus,*
 (& erat illi hoc iucundissimum) nu-
 dus pedes, horrente dumtaxat belua-
 rum pilis veste, obiter contectus,
 verius quàm amictus, Crucem pe- *lubens*
 tit, atque inibi genibus nixus, eura *vadit,*
 adorat, qui se Patri aeterno, eius cau-
 sâ, gratissimum holocaustum in eâ
 obtulisset. Erat hiemis frigidissima *calo fri-*
 tempestas, quæ, vt in Arduennâ, *gidissi-*
 immani rigore sæuiebat. Et gelu so- *mo.*
 lûm, vndamque in lapidis modum
 durante; insuper densa nix cælo
 tuebat, cuius candido vellere Athle-
 ta, innocenti animo candidior, den-
 sius, quàm cilicio, loricator, in agone
 persistebat. Certabat contra super- *Contra*
 biam, cui si cederet, Abbati tam du- *vitia*
 ra imperanti minimè obediret, ma- *certat,*
 ximè cum sciret se eo multo maio-
 rem: certabat contra impatientiam,
 quæ alium quemuis, tali in re, ac
 tempore, deiecisset: certabat contra
 animi

60 VITA S. LAMBERTI

Et natura
turam
ipsam.

animi inconstantiam, fortiter, & constanter durans, & perdurans in eâ poenarum, nullam ob causam, acerbitate. Et quid vitia memoro? certabat contra Naturam ipsam, eamque superabat, quam constat omnia facere, & moliri, vt quasuis iniurias repellat, seque integram tueatur.

Neque si se Naturæ, virtutibus armatus, opponebat, ideo Naturæ petitiones non sentiebat. Sensit ipse Agonotheta noster, ac se, sentire testatus est, cum diceret: *Transseat à me calix iste.* Sentiebat LAMBERTVS, cum in Psalmodiâ versum illum suauiter modulabatur: *Quando veniam, & apparebo ante faciem DEI?* Fuit DEO ipsi cordi querela fiducia nixa, & mixta. Nam nocturnos vigiles, & excubitores gallinaceos excitauit, vt solito citius cantus suos ingeminarent.

Quibus somno soluti Monachi, mox expediti ad Ecclesiam, DEO laudes

laudes persoluturi properant. Tum
 ijs absolutis, sævientis frigoris tyran-
 nidem, pro se quisque euadere festi-
 nant, & ad luculentum focum pro-
 perant. Vbi dum corpuscula calore
 reficiunt, quærit Præses, ecquis fra-
 trum absit à cœtu? respõsum, solum
 abesse LAMBERTVM: sanè præter
 morè. solebat enim sanctis illis exer-
 citationibus primus adesse, postre-
 mus recedere. Abbas, sollicitus, ne
 fortè morbo aliquo tentaretur, para-
 bat mittere, qui eius cubiculum adi-
 ret; cum ab alio intelligit, Pridem
 cum ad Crucem orare, atque illum
 ipsum eò iussum ire, cum strepitum
 noctu excitasset. Inopinatâ re penè
 exanimatus Abbas, suam impruden-
 tiam, & semet iacufans, raptim ac-
 cerferi iubet. Qui missus est, reperit
 corpore rigentem, animo vegetum,
 solantem se sacris illis è Psalmo ver-
 bis: *Cor contritum, & humiliatum*
 DEVS non despiciet.

LAM-
 BERTVS
 à Fra-
 trum
 cœtu ab-
 sens,

ab Ab-
 bate ig-
 norante,
 & se in-
 casante,
 accersit-
 ur.

Vix Abbatis præceptum accepe-
 rat,

*Abbas
se accu-
sat:*

*Eū ex-
cusat
Episco-
pus.*

rat, cum ad eum properat LAMBERTVS, tenui cilicij centunculo semiamictus, niue multâ hispidus; sed virtute suâ, vt regio paludamento, inuolutus. Abbas vbi aduenientem conspicatur, humi sese abijcit lacrymis perfusus, genua eius prehensat, & graui singultu verecundas voces interrumpente, Ignosce, inquit, Sacerdos sanctissime; imprudenter in te peccaui. Cum plura dicere pararet; comiter subleuans, & arridens Pontifex benignissimus; Nihil peccatum, inquit, ô Pater, eoque nihil, quod ignoscatur. Rectè tu, & pro solemni more pœnam peccanti mihi imposuisti. Eam ego lubens excutus sum: & si parum luisse videor, ecce Crucem repeto. Stupefacti omnes, & nec fletus tenentes, nec gemitus, ad solatia vertuntur; & pro se quisque alius vestes recentes afferre, alius sandalia porrigere, alius sedem fatigato apponere. Sed Præsidi verito, ne ex tam dirâ, & diurnâ frigidis

ris

ris sæuitie morbum cōtraheret, fors
 & mortem: balneum parare visum,
 renitēte LAMBERTO, & vix tandem,
 solo obediendi studio admittente.
 Quo alijsque fomentis recreato cor-
 puscule, vires instauratæ, & fugiens
 penè anima retenta est.

*Balneo
 LAMB.
 recrea-
 tur.*

LAMBERTVS ex eo tempore cla-
 rior haberi: stupere omnes ad inusi-
 tata virtutis miraculum: crebris ser-
 monibus celebrare animi magnitu-
 dinem, & non tantum rerū omnium
 humanarum, verum etiam suimet
 contemptū, & ipsius vitæ prodigam
 mentem. Denique, si aliās vnquam,
 magnum exhibitum DEO, *Angelis,*
& hominibus spectaculum. Id specta-
 culum dignum visum, quod memo-
 riâ æternaretur: eoque Leodij in
 Cathedrali Ecclesiâ (in qua sacrum
 illud Corpus quiescit) Crucis præ-
 grande signum collocatum, alterius
 illius Stabulensis perenne monu-
 mentum.

*Eiusdem
 Virtutis
 admira-
 tio.*

*Crucis
 monu-
 mētum,
 Crux
 altera.*

CA-

CAPVT X.

*Ebroïni postremi furores. Eiusdem
mors infelicissima.*

*Ebroi-
nus seip-
so dete-
rior.*

TOTVM iam septennium abierat,
ex quo, Episcopatu per sum-
mam iniuriam pulsus LAMBERTVS,
Stabuleti vitam egerat priuatam, &
procul hominũ tumultu, cælestem
cum Angelis consuetudinem ha-
buerat. Interea impius Ebroïnus,
cuius furore id facinus patratũ fue-
rat, semper sibi similis, vel potius
quotidie seipso deterior, pergebat
læuire, & in eos omnes grassari, qui
quoque modo eius se insanix oppo-
nerent. Ii sanè rari erant, quòd & po-
tentiã plurimum valebat; & quòd
supplicia, si quos vicisset, non huma-
no modo, sed rabiosa instar beluæ,
sumebat.

Martinus tamen Dux, & Pipinus,
cognomine Herstallus, Ansigisi fi-
lius, qui Vulfraldo Duce mortuo, in
Austra-

Austrasiâ rerum potiebantur, contracto exercitu, in eum ducunt. Prælium committitur in loco, cui Locofico vocabulum. Cecidere vtriusque magnus armatorum numerus: victoria tamen ab Ebroino stetit, sed cruenta: Martinus, atque Pipinus fugâ elabuntur. Sed Martinus, cum se obiectis vallis munivisset, invitatus ab Ebroino è munimento prodit, & cum suis fide barbarico ritu violatâ, crudeliter obtruncatur. Elatus successu Ebroinus, deteriora voluebat animo, cum DEVS, tot scelerum vindex, & tot innocentum, ab eo per summâ iniuriam necatorum: tot etiam miseram adhuc vitam trahentium (in quibus noster LAMBERTVS) precibus, & gemitibus excitatus, zelo suo, tamquam loricâ, armatus, vindictam parat.

Ermenfridus quidam erat inter Franciæ Dynastas, cui, vt tot alijs, Ebroinus necem inferre moliebatur. Quo ille consilio comperto, oc-

E

cupat

*Is armis
appetit
tur.*

*ac pri
mum
victor
trium
phat.*

Et sanis

cupat facinus. Nam fortissimis atque amicissimis sibi adiunctis, nocte intempestâ Ebroinum nihil minus expectantē aggreditur, & nequicquam resistere parantem vitâ deuoluit. Hunc tandem exitum noctu reperit, qui acerbissimâ noctem bellorum, rapinarum, cædium, & omne genus cladum, tanto tempore Regno Galliaë imposuerat. Ipse igitur & in æternam noctem lumina clausit, & super hoc, tenebris exterioribus, nullâ vnquam lucis vicissitudine, additus est. Audi rem stupendam.

Tot inter Ebroini scelera, vnum illud fuit. Eructat ille multis Sanctis viris oculos. Ex quibus vnus quidam in Insulâ Lugdunensi, quam Barbaram dicunt, Solis huius lumine orbis, æternam melioris Solis lucem, tot malis solatium, animo assiduus contemplabatur, diuinis commentationibus addictus. Euenit ergo, vt, cum profundâ nocte, calidas ad DEVM preces funderet, nauis fluctus sulcantis,

rum vi-
elus ca-
dit;

tis, strepitum auribus acciperet, remis magnâ brachiorum contétione æquor fulcantibus. Ausus ille rogare, quonam id nauigium cursus dirigeret. Atque pro responso audit, Ebroinum, pro tot sceleribus ad Olam Vulcaniam, Deo ultore, damnatum, cò deportari.

*Et olla
Vulcania
in mare
mergitur.*

CAPVT XI.

S. LAMBERTVS *Episcopatus Tungrensis curam postliminiò capessit.*

TRANQVILLATIS per Ebroini mortem, Gallix rebus, mutata ilicò terrarum, hominumque facies est: ora omnium metu clausa, liberè iam aperiebátur; & de pietate, atque Religione loqui, olim crimen; iam voluptas erat. Vt aqua per vim cataractis coërcita, ijs sublati, violentius erumpit. Episcopi, alijque homines sacri, qui metu, dirisque aliorum exemplis, atque supplicijs absterriti, vix occultarum litterarũ furto inter

*Gallie
libertas
postliminiò
reddita.*

se communicare audebant; iam palam conuenire, gratulari, in medium consulere, de Ecclesiæ, populorumque incolumitate, libere tractare, & decernere. Quibus rebus territus impius ille Tungrensis Ecclesiæ Inuador, & Prædo Pharamundus, sibi videlicet metuere, & de salute suâ sollicitus esse. Reputabat animo, quemadmodum id sacrum fastigiū ascendisset, & vt in Domini sui Grege, lupum potius egisset, quàm Pastorem. Quas ob res, pellendum vtique se à Principe non dubitabat, fors & à populo iustè exacerbato, mactandum. Ergo optimum factu ratus, si se subduceret in tempore; fugam maturè arripit. Constat, postea loci, neque Traiecti, neq; vicinâ in Proinciâ vsquam visum.

*Phara-
Prædi-
fugit.*

Abactio lupo, de reducendo mox Pastore cogitatum. Primum conuenire Cleri, Populique primores: tum Populus ipse vniuersus concurrere, LAMBERTVM sibi reddi postulare,

lare, vel etiam flagitare, iubere pro-
 perari, desiderium diutius non ferre,
 nullam moram pati. Visum omni-
 bus, quò rei maior authoritas esset,
 Principem ad eundem, & ab eo pe-
 tendum, vt Legatos Stabuletum fe-
 stinatò mitteret, qui eum repeterēt,
 secumque reducerent. Gratum ha-
 buit Pipinus Cleri, Populique Tun-
 grensis ardens studium. Itaque mox
 destinatus, qui mandata deferrent, que
 memorauimus: & vt appareret &
 serìò, & de re magnâ agi, delecti Le-
 gati ex Aulæ Principibus, Pipino in
 paucis cari, & familiares.

Postquam Stabuleti cognitum,
 quid, & quorum nomine postula-
 rent: animi omnium varijs, imò &
 pugnantibus adfectibus distracti, in
 diuersa scindebâtur. Sentiebant pro
 humanâ cõditione, iacturam suam:
 repetabant memoriâ, totum septen-
 nium Sanctum Virum secum egisse
 quàm familiarissimè, qui iam vio-
 lenter auelleretur. Occurrebant mo-

LAM-
 BERTVS
 repeti-
 tur,

missa per
 Pipinũ
 Lega-
 rione,

Dolens
 Asceta
 Stabu-
 lenses
 iacturã
 suam.

rum suauitas, verborum gratia, vultus ipsius, & oculorum cælestis maiestas: denique Angeli potius, quàm hominis species, animis obuersabatur: quâ se repente, tamquam per vim spoliari, non poterant non grauius sentire. At postulati æquitas, Ecclesiæ viduitas, orbis populi, Principis iusta iubentis volûtas: DEI denique dubio procul, nutus, in eam partem bonos illos Monachos impellebat, vt æquum iudicarent, non sonari contra iclum tam rapidi fluminis.

Flectuntur tamen postulati æquitate.

LAMBERTVS redire abunit:

Aliâ ex parte, LAMBERTVS ipse, de quo agebatur, anxius eo nuntio, dolci solitudini iam assuetus, & vicissim singulos domesticos, Angelos arbitratus: instar mortis ducebat, in æstuosum bullientis mundi fretum, è tam tranquillo portu resorberi. Itaque disertim negat, aptum se iam Ecclesiæ regendæ, defuetudinem in naturam transisse, corporis vires, sed maximè animi, laboribus pares non esse. Irent Legati, & Principi,

obtestari, cederet DEO, & æquitatis redderet se ijs, quorum esset, & se tot nominibus deberet. LAMBERTVS de ijs queri, & cõtrà clamitare, se prodi: & hoc nimirum signum esse, non fuisse se illis gratum, quem sic violenter expellerent. Ad quæ illi, Aliter illum accipere eorum mentem, atque esset; sed ne ipsum quidem, si attenderet, cuiquam hoc oneris imponere debere, vt cuiuscumque hominis, quantumuis grati, & iucundi, opinionem, manifesto DEI decreto anteferrent. Sic trahebatur piâ altercatione dies, & neutra pars obtentura videbatur, quod agebat. Tandem tamen, vt oportebat, vicit Numen, & victus Numinis vi, & nutu, LAMBERTVS dedit manus. Valedicunt vtrimque hospites, incredibili dolore perciti. Clamabant Monachi, cor sibi euelli è visceribus; LAMBERTVS fatebatur, meritum quidem se vitâ suâ omissiore graues pœnas; sed nequaquam tam acerbû exilium.

Tandem

*manus
dat, &
Legatos
comita-
tur.*

Tandem mixtis acerbo singultu dulcibus amplexibus, separantur: LAMBERTVS, quando aliter non poterat, Legatos comitatur; Stabuletanis relicta, sublato Sole, mœstitudinis grauis nox.

Dum hæc Stabuleti aguntur, Traiectensibus interea nimis longa mora videri Legatorum: multa dici, coniectari, disputari, cur hærent: an ægrotare LAMBERTVM? an tergiuersari? an se abdidisse? an fugisse? Quippe nota erat omnibus viti humilitas, & animi demissio. Hæsitantibus adest à Legatis iussus præcurrere nuntius: qui vbi affert, adesse LAMBERTVM, tum verò effundi omnes portis; adeo vt mulieres quoque, ac puellæ, sexus verecundiam propè oblitæ, obuiam raperentur: nullus Ordo, nulla ætas domi contineri. Vix in conspectu erat expectatus Pontifex, cum omnes genua eius aduoluuntur, & dextram, pars vestis extremũ, exosculatur. Oriuntur

Traiectenses enim auidè expectant:

gratulandi excipiunt.

tur confusæ gratulantium, laudēs canentiū, inuitantium, gaudio etiam lacrymantium voces, & clamores. Solus ille, cui hæc fiebant, mœsto cum silentio, vda lumina humi defixus, huic triumpho tristis ingemebat. Vbi urbem Traiectensem ingressus est, videres compita, plateas, domos, ianuas, fenestras, ac tecta ipsa compleri, studio spectandi. Certatim probra, & diræ in Pharamundum ingeri: LAMBERTI laudes, & encomia ab omnibus, vario, carmine decantari.

Inter hæc, præeunte, & ponè comitante Clero; populo, vel sequente, vel variè effuso, in Ecclesiam, LAMBERTVS deducitur, & in Pontificali Cathedrâ, postliminiò sublimis relocatur.

CA.

CAPVT XII.

Episcopales functiones ab integro resumit.

VBI se quasi secundò Episcopum LAMBERTVS vidit; vel victo, vel insuper habito dolore, quo propter relictam quietem Stabuletanam, coquebatur: memor, fortissimo Duci Iosue, electi Populi imperium ineunti à Domino illud fuisse inculcatum: *Confortare, & esto robustus*: Sibi quoque id dictum arbitratus, serio Pontificales functiones tamquam à capite aggreditur.

Ac primum ipse alijs omnibus virtute præluere: & ea quidem omnia sanctitatis decora ostendere, quæ supra demonstraui-
mus: cæterum eâ accuratione singula exercere, vt puerum ante fuisse iam virum robustissimum fatetur, quisquis priora cum posterioribus

*Reducis
Pontificis
cuius
r. 2.*

bus componeret. *Oculus eius* perpetuò erat, tamquam *serui in manu Domini sui*. Illius omnes nutus obseruabat, nec ab ijs vel latum vnguem recedebat. *Pedes* habere non videbatur, nisi vt *euangelizaret pacem*. Pax cum DEO, pax cum proximo, pax proximorum inter se, vnum, & perpetuum studium eius erat. *Cibus eius* erat, *facere voluntatem eius*, à quo mittebatur. Hoc cibo, seque, &, quoad poterat, Gregem totum pascebat, & saginabat. Quidquid noxium erat, ab eo, quàm longissimè abducebat. Pro pede illi erat directio, exhortatio, coreptio, & correctio. Domesticos suos præ omnibus, in officio continebat. Nemo ibi iurare, nemo alijs verbo, nemo prauo exemplo offendiculo esse. Familix eius agellus, salutarium frugum, pabulique lætus omnibus apparere. Ipse Principi, non per adulationem, (quam pestis instar oderat.) sed per obsequelam orationis, omniumque actionum, gratus

*Familia
eius sanctitas:*

*quam in
reliquos
spargit.*

gratus esse, & iucundus. Diuitum opes, & potentiam non vereri: pauperum tenuitatem non aspernari: utrosque gratâ moderatione complecti, & inter se Christianæ caritatis glutino connectere: omnes liberalibus verbis permulcere. Habebat tamen nonnullos eximios. Nam quanto animaduvertebat, aliquos sanctitate, & vitæ innocentiâ excellere, tanto se illis addicebat impensius. Iustum videlicet iudicabat, eos sibi esse cariores, qui DEO ipsi essent. Opes, nec si decissent, appetebat; neque cum erant, magni pendebat. Usus earum erat, eas sibi modicè delibare, in egenos liberaliter effundere. Vestis, & corporis cultus, adeò non cum luxu, ut etiam longè infra mediocritatem esset; imo fere infra decorum. Si domestici, aut amici elegantiorem amictum procurarent, Pontificalem Dignitatem ita decere dicentes, reiciebat comi aspernatione, & vilia repetebat. Ne thronum quidè suum, serico,

idem
DEO, &
LAM-
BERTO
CARI.

Vestitus
eius vis-
lis.

serico, alioue peristromate, de more integri patiebatur, sed nudo insidebat: ex quo nulla sedi eius reuerentia, nisi propter sedentem.

*Solici-
tudo Pa-
store di-
gna.*

Quantum in nupero secessu quietem, silentiumque adamauerat, tantum iam erat in cursu, & discursu: non utique animo oblectando, sed creditarum sibi ouium animis seruandis, ornandisque. Itaque potissimum illi studium, suos oppidatim, vicatimque visere, periculis eximere, lupos arcere, Optimo Pastori quam gratissimos efficere. Hæc, & quæ eiusdem generis, ita constanter vigerent, ut neque animus negotijs deesset, neque decretis labor.

C A P V T XIII.

Taxandros Idolis addictos, Christianâ Fide imbuit.

TOTVS in his erat, LAMBERTVS, cum ingens sollicitudo eius animum coquere cœpit. Cum omnia faceret,

LAM-
BERTVS
eam
Christo
adungere
parat.

Gentis,
& Soli
ingeniū.

Dæmo-
num a-
stus per-
niciosus.

complexus, Christianam Religio-
nem ei inferre parat. Res magna, &
LAMBERTI studio digna. Sed quam
eadem ardua, illud argumento est,
quod tot Sancti Pōtifices Tungren-
ses, qui antè nostrum fuerunt, illam,
quod extet, ne tentarunt quidem.
LAMBERTVS tamen illam velut sil-
uam frementium bestiarum intre-
pidus ingreditur. Deprehendit Re-
gionem, perpetuis fere paludibus
madentem; eoque nomine, ne pro-
ximis quidem, & finitimis populis,
familiaritatis, hospitij, aut commercij
iure coniunctam: imò vix notam,
aut peruiam. Agrestia hominum
ingenia, mores barbari, quos & tristis
solitudo, & dira superstitio longa
iam secula efferauerat. Accedebat
Cacodæmonum rabies, qui LAM-
BERTI conatus sibi exitiabiles veriti,
eam de optimo Pontifice famam
sparserant; vt crederent væcordes
Pagani, ad eius ingressum, non tan-
tum ruituras Religiones: verum &
cælum,

caelum, imbrem, calorem, lucem
denique ipsam, negaturum. Itaque
statuunt, vi, & armis eum quàm
longissimè arcere: & si propositi
sui tenax sit, & pertinax, etiam vitâ
exuere.

Sed LAMBERTVS, vel fiducia in
DEVM, de vitâ securus: vel certus,
pro eorum salute, eam proijcere, de-
stinata aggreditur. Erant Barbaris
Idolorum fana passim in agris exæ-
dificata: quippe cum ipsi, non in ci-
uitatibus habitarent, sed sparsis vicis,
aut more Hamaxobiorum, temerè
palantes. Vbi igitur Sanctus Episco-
pus in eiusmodi aliquod fanum in-
ciderat, vltro ingredi, congregatos
comiter salutare, audientiam illis eâ
comitate facere: mox, vbi quietos,
& nouitate ipsâ attonitos, & silentes
videbat; de Christianæ Religionis
Sacrosanctis mysterijs sermones in-
stituere; quorum illud primū caput
erat, DEVM VNVM ESSE. Hoc
etiam, atque etiam inculcabat, in hoc

*Barba-
torum
instru-
ctio*

F insiste-

infistebat; ibi tamquam habitabat.
 Hinc enim continuò sequebatur,
 Quos ipsi censerēt deos, vel damna-
 tos spiritus esse, vel eorum simula-
 cra, vel truncos meros. Iam cuius
 torpedinis esse, *Incōmunicabile nomen*
lignis, & lapidibus attribuere? Ac-
 cipiebantur hæc pronis auribus à
 plerisque, & fiebant haud parui mo-
 mēti inclinationes animorum; cum
 Dæmoniorum sacrificuli, sibi, reiq;
 familiari metuentes, limphati coire,
 consulere in medium, coetus cogere,
 turbas excitare, atq; ita differere:
 Gentes omnes iam inde à primâ
 mortalium conditione, deos, ac re-
 ligiones sibi constituisse, inque ijs,
 vitæ, rerumque omnium præsidium
 habuisse collocatum; idque tantâ
 constantiâ, vt, si alijs in rebus quan-
 doque mutarūt, hæc tamen semper
 inuiolata, manerent, & sacrosancta.
 An verum esse, vt ipsi soli numina
 sua rejicerent, & velut mutas pecu-
 des, duci se sinerent, persuasos à
 peregri-

*Dæmo-
niorum
Sacrificu-
culi se
opponūt.*

peregrino, & superstitioso Sacerdote? Postremò, deos se ipsos testari, & ultores vocare in eos, qui pulueris instar, à vento quouis, aut turbine, se in diuersa rapi sinerent.

Hæc, & id genus alia iactantibus, moueri populus, concurrere, globi fieri furentium: vt quisque erat animo, & linguâ percitus, & inquires, Sacerdotes suos clamitant, vera memorare, ad religionem parentum vetustissimam tuendâ furore amentes hortantur; duces se offerunt pulcherrimi facinoris. LAMBERTVM pessimis exemplis excruciatû, morti mittendum: alios eius malo edoctos, non facile in alienis terris similia au-
Populus mouetur.

Iis concionibus concitati, iam in Pontificis perniciem ibant, raptis, quæ fors obtulerat, armis. Stipites plerisque duri, aut præuultæ fudes pro telis erant. Neque ista ignara LAMBERTO: sed firmatus animi, riosos istos sæuientis Maris fluctus, ipse,
LAMBERTVS aduersus furentes constans,

ipse, vt rupes, excipere constituit. Aderant iam globi grassantium, & infestæ cuspides vibrabantur, cum obuiam se dat Heros imperterritus, & armis omnibus solum pectus opponit, DEO armatum. Res mira, & inopina! vultum eius conspiciunt, diuino iubare rutilantem: quo ita consternati sunt, vt armis, animisque abiectis, mitescerent; & illi paulò antè furentes, & occidere certi, iam obnoxij starent; & pro illâ ipsâ Religione, quam perditum venerant, ipsi, si opus, occidi peroptarent.

Lætus successu LAMBERTVS, & Diuinū Numen veneratus, vt porro adiutaret; quæ reliqua erant Christianæ institutionis, tradere aggreditur vltro petentibus, & calidè supplicantibus.

*Plenus
valentes
instituit.* Explicarâ igitur DEITATIS naturâ, quæ nō nisi intra vnitatē stare posset: addidit fusè, &, quoad rerū singulæ ferebant, clarè, quæ nos verbo dumtaxat indicabimus, vt Christianis hominibus

minibus satis nota. Ea erant Homi-
 nis, cæterarumque rerum Molitio:
 illius lapsus, & ex eo, posterorum
 macula, quam Originis dicimus: Dei
 miseratio, & in remedium, Carnis
 indumentum, & ex Virgine Natiui-
 tas. Tum DEI HOMINIS cælestis
 Doctrina, Vitæ salutaria Exempla,
 Miraculorum Prodigia: Tormento-
 rum item, Crucis, & Mortis horren-
 da. Ad extremum, inusitata Mundo
 Anastasis, & in cælos Ascensus. Mor-
 tuorum item recorporatio, & in vi-
 tam reditus: & denique omnium,
 Christo Arbitrante, Diuicatio,
 æternaque vel proborum præmia,
 vel supplicia improborum, focijs, &
 carnificibus Angelis Apostatis.

Omnia hæc Fide salutiferâ com-
 plexi; & postremo, vel spe, vel metu
 mentem concussi; præterita errata
 detestantes, meliora bonâ fide pol-
 licentur: ac tandē corpus vndâ, ani-
 mum Gratiâ Seruatoris, Episcopo
 lustrante, abluunt.

*Conuersio
 & Bap-
 tisma.*

Verſi deinde ad tollenda priſtinæ impietatis cubilia, & veſtigia, deceptorum Dæmonum Fana vel evertunt, vel in vnius DEI honorem mutari, & conſecrari à Pontifice petunt. Simulacra porro confringunt, exurunt, & cum eorum memoriâ, æternum delent.

LAM-
BERTVS
lævis, o-
mnia
confir-
mat.

Exponi non poteſt, quæ inter hæc LAMBERTI voluptas: qui ne illa quidem negligēda ratus, quæ animis firmandis, Religionique, ac pietati conſeruandæ, & propagandæ eſſenti ædes ſacras conſtruxit, cæremonias conſtituit, Sacerdotes, Doctoresque Neophytis vicatim attribuit. Nihil deniq; eorum omiſit, quibus optima quæque ſeruarentur, & nouis quotidie auctibus adoleſcerent.

Vere e-
ius Gen-
tis Apo-
ſtolus.

Hiſce laboribus, artibusque obtinuit, vt illi ex vero cognomen, elogiūque eſſet, TAXANDRORVM APOSTOLVS.

Cæterum Nicolaus non ſiluit, LAMBERTI ſtudio, laboresque, illâ

illâ excursionē, intra Taxandriæ fi-
 nes non stetit; sed ad populos fini-
 timos, ad vsque Frisones, fuisse pro-
 pagatos, & eodem successu. Sed cum
 neq; ille, neq; alius quispiâ, quidquâ
 explicatius, super eo tradiderit; nobis
 quoque satis sit, tantum indicasse.

*Finitio-
 mos quo-
 que po-
 pulos eâ-
 dem ca-
 ritate
 comple-
 ctitur.*

CAPVT XIII.

*Willibrordum Episcopum vi sit: de
 diuinis inter se agunt.*

REGRESSVS Traiectum è tam
 nobili expeditione, triumphan-
 tis instar, LAMBERTVS, opima spolia
 deferens, de deuicto inferorum prin-
 cipe; exceptus à suis est, vt par erat,
 tamquam si DEI Angelum excipe-
 rent. Vndique laudes, vndique elo-
 gia, vndique gratulationes. Neque
 eo tantum nomine gaudebant, quòd
 sospes, & gloriosus redijisset; quod
 rem bene gessisset: sed accedebat ad
 lætitiæ cumulū, quod vicini Taxan-
 dri, cultu Numinis paulò antè toto

*Cum
 plausu
 excipi-
 tur*

LAM-
 BERTVS,

de

E 4

calo

cælo diffiti, iam vicinissimi erant, atque adeò *Domestici fidei*.

*Et gratulatio-
sub.*

Vulgo gratulabantur, barbarie illâ pulsâ, fore deinceps cum ijs amicitias, hospitia, commercia: &, quod præ omnibus æstimandum, Religionem, & cæremonias communes. Neque multum temporis abierat, cum coeperunt mutuò se visere, mutuo noscitare, mutuam operam commiter polliceri, & liberaliter præstare.

*LAMB.
consilia
Sapientum ex-
petiti*

At LAMBERTVS maiora spectans, neque sibi vni satis fidens, aliorum consilia expetebat, & lubens sequebatur. Gnarum illi, mortales, quamvis acutè tuentes, in suis potissimum rebus, facillimè cæcutire, & cum noxâ. Neque verò domesticos tantum consulebat, aut amicos, vicino sue: sed longè etiam absentes.

Abest Traiecto millia passuum aliquot oppidum, cui Ultraiecto nomen: (Sigebertus Vultabuch prius vocitatum scribit) loco amœnissimo.

ad

ad Rheni ripam situm. Hic non ita
 pridem Episcopatus Sedem posue-
 rat magnus Dei seruus *Willibrordus*, *et in his,*
 Sergij Rom. Pont. missu eò profe- *S. Wil-*
 ctus, vt vicinis frisonibus, Idoloma- *libror-*
 niâ perditis, verum DEVM, veramq;
 Religionem inferret. Quod & stu-
 diosissimè, & vberè cum fructu præ-
 stabat. Multa sunt, quo de eo cum
 laude memorari possunt: sed, ne
 aliena conscriptari videar, silens tran-
 seo. Vitam eius accurratè à Thiofri-
 do descriptam habeo, nec hactenus
 editam: Edam illam aliquando cum
 Notis meis, si bonus DEVS permise-
 rit, & iuuerit.

Fama, vt fit, & commeantium
 narrationes: post etiam mutux Epi-
 stolæ, duos istos Heroes, LAMBER-
 TVM, & Willibrordum ita, primùm
 familiaritate, deinde etiam amicitia,
 & caritate, coniunxerunt, vt ad mu-
 tuum conspectum incredibiliter an-
 helarent. Neque iam ferebant desi-
 derium, cum *Desiderium anima eorum*

*A Willi-
brordo
visitur.*

tribuit eis Dominus, & voluntate labiorum non fraudavit eos. Willibrordus, vel egentior consilij, ut in nouo Episcopatu, vel magis tunc curis vacuus; interfluentium tot aquarum superatis obstaculis, prior accessit. Neque absurdè crediderim, diuino nutu id maiori tributum à minori. Certè LAMBERTVS candidatus erat Martyrij: quo non ita multò post auctus est: Willibrordus intra Confessorum gloriam stetit.

*Eorum
ample-
xus.
& Collo-
quia,*

Vbi lumina luminibus rueri licuit, videres amplexus, non magis brachiorum, quàm animorum. Diceres, *Dauidem esse, & Ionathan: nam agglutinata est anima vnius animæ alterius.* Quis Diuus eorum nobis colloquia referat? Texit ea, ut multa alia præclara, inuida obliuio. Illud constat, instar Pauli, & Barnabæ, inuicem narrasse, *Quanta fecisset in Gentibus, per eos DEVS.* Neque verò ijs saturerat sterilis narratio, etsi ex eâ inexplicabilis gaudij fructû percipiebant: sed

sed consilia agitabant. Quemadmo- *& Consilia.*
dum deinceps etiam multò magis
omnibus viribus conniterentur, vt
in dies plures, vt sic dixerim, aduenas
oues in Ecclesiæ, quisque suæ, ouile
cogerent. Ad tam præclara facinora,
cum se mutuò fuissent cohortati, &
alter alterius orationes, atque apud
DEVM ambitus enixè postulassent;
tum quidem corpore separati sunt,
animis interim eodem caritatis glu-
tine cohærentibus. Cæterum satis
constat, præter reciprocantes vtriuf-
que epistolas, identidem sermonis
vsuram, fructumque repetiisse.

Quinetiam memoriæ proditum
est, non contentos colloquia misce-
re, labores etiam ipsos nõ rarò com-
municasse: cum Willibrordus LAM-
BERTO; & hic illi, in Gentilium in-
formatione, operam, tamquam in re
suâ, nauaret.

Extat tantæ rei memoria haud
procul Mosâ flumine, loco, cui Te-
stebrantum nomen. Eò sæpiculè
conuenire

*Congres-
sus ex
inter-
uallo re-
petunt.*

*Locus
congres-
sus pio-
rum cō-
cursum, &
Templo
haestā-
tus.*

conuenire nobile illud Antistitum
par, & ea ipsa iucundè, & feriò tra-
ctare soliti, quæ retulimus. Facti
deinceps eòdem magni piorum ho-
minum concursus, tum Religionis
gratiâ; tum etiam gratæ animi re-
missionis. Inuitabat arborum, um-
bras ramis confociantium, opaca, &
contra feruidos & stuantis Solis ictus,
oportuna amœnitas. Auctâ Reli-
gione, exdificatum postea inibi
Templum LAMBERTI nomine cele-
bre: sacris illis cum Willibrordo cō-
gressibus, vel honos, vel monumen-
tum. Huc solemnibus diebus, re-
deunte in orbem anno, confluentes
populi: vota DEO, & Martyri eius
LAMBERTO deuoti referebant. Por-
rò adeò illis infederat, Locū sacrum
esse, & sanctum, vt è tantâ arborum
multitudine, vnus alicuius comam
ferro violare nefas ducerent, & sa-
cilegum:

CA-

CAPVT XV.

*Laudrada Sacre Virginis excessus; &
post mortem prodigiosus cum
LAMBERTO congressus.*

INGENS desiderium, quo affidue
LAMBERTI mens estuebat Magno
DEO quam posset maximam operam
nauandi, faciebat, vt nunquam satis
sibi fecisse videretur. Si quos ad
Christianam Religionem adduxe-
rat, eos quam perfectissimos esse
Christianos cupiebat. Ex quo non
pauci fuere, qui eius hortatu, mun-
dum, quæque illius sunt omnia, ma-
gno animo aspernati, in arctiorem
quandam vitæ rationem se confer-
rent: Et, quo facilius turbas, non
animo tantum, sed & corpore ipso,
& sensibus effugerent, in solitaria se
loca recipiebant, ea maximè, quæ à
Græcis mutuam acceptam voce, Mona-
steria dicimus.

Virgines præ alijs ad eiusmodi ge-
nerosam

LAM-
BERTI
hortatu,
Mundo
valedi-
cunt mul-
ti.

In quibus Landrada Virgo Regia: nerosam fugã hortabatur. Quarum in munero fuit Landrada, nobilissimis orta natalibus, Francorum Principum soboles, earum, qui Regibus proximi, Maiores Domus dicebantur, & totum Regnum, cum Regibus ipsis, quãdoque & præ Regibus, gubernabant.

Constat, largiter errare eos, & temporum rationem non attendere, qui hanc Landradam arbitrantur fuisse Caroli Martelli filiam. Nam cum ex Theodorico, florentissimo Vitæ eius scriptore, clarum sit, eam iam grãdi natu fuisse Remaclo Tungrorum Antistite, vix natus tum erat Martellus: aut, si natus, cunas adhuc premebat corpusculo, & maternas aures vagitu implebat. Habuit ille filiam Landradam, sed longè post: neque huic cum nostrã illã quidquam commune, nisi nomen.

Illa igitur Landrada, LAMBERTI potissimum operã, & consilio, reiecto splendido matrimonio, cæterisque

risque illecebris; opulento prædio suo, (Bilisia erat vocabulum) Ecclesiaz, & pietati, Religionique attributo, nobile in eo Sacrarum Virginum Domicilium extruxit. Nam erat illi amplissimum patrimonium. Ascitis igitur sui propositi, atque animi, puellis compluribus, vitam cum ijs ibi duxit eiusmodi, vt, nisi homines seires, diceres Angelos.

Quæ in Bilisia Parthenonem extruxit, ibiq; vixit.

Ne de loco hæsites, in ipso Taxandriæ ingressu visitur, altero ab Traiectensi vrbe miliari, & pari spatio ab dirutis Tungrorum muris, insigni amœnitate oculos spectantium tenens. Diu ibi tenuit institutū, quod S. Virgo intulerat: sed temporis lapsu mutauit, & ijs Virginibus cessit, quæ Canonice, siue maais, Canonissæ dicuntur: quæ in hodiernum diem ibi perennāt. Sed ad historiam animum stilumque reuocemus.

Bilisia vbi.

Annos non paucos Landrada Bilisiam, finitimasque regiones, virtutum suarum splendore illustrauerat:

cum

cum visum est Sponso eius Cælesti
 eam euocare ad eternitatis brauium,
 quod in laborioso pietatis stadio
 constanter currentibus donare est
 solitus. Languente igitur corpuscu-
 lo, mortis nuntium intelligēs sancta
Agra Landrada Virgo, nihil prius habuit, quàm vt
da LAMBERTVM LAMBERTVM properè accerferet. Sa-
accerfit: pièter quippe iudicabat, è cuius præ-
 ceptis totam penè vitam composuis-
 set, non debere committere, vt eius
 extremum actum, in quo tantum
 momenti, sine illius directione, &
 tamquam manuuctione, conclu-
 deret.

Aberat tum forte fortunâ longius-
 culè Sanctus Præsul, ouiculis suis
 pascendis, visendisque de more in-
 tentus. Sed eo nuntio accepto, nihil
 cūctatus, in viam se dat, & plus quàm
 fractæ laboribus vires, & ætate iam
 non satis integræ, paterentur, appro-
 perat. Acerbum sibi fore iudicabat,
 si dilecta alumna, ipso coràm non
 salutato, excederet. Et euenit tamen
 ei, DEO

ei, DEO mirabilia sua palam facere
 volente, quod timebat, & horrebat. *Sed antè
 emori-*
 Virgo antequam Bilisiam anxius Sa- *tur,*
 cerdos attingeret, carnis sarcinâ hi- *quam*
 lariter abiectâ, columba instat enola- *adesset.*
 uit, & Sponso suo, candidata inno-
 centiâ se exhibuit, æternum requie-
 tura. LAMBERTVS interim, nocte vr-
 gente, fessa laboris cõtentione mem-
 bra, modicum leuamenti capturus,
 humi deponit.

Hic ingens se illi prodigium obij-
 cit. Semisomnis, & vigilanti propior,
 Landradam suam conspicit, immor- *Absenti
 se ostendit.*
 talitatis pallio amictam, caput diuini
 luminis radijs fulgentem, specie totâ
 quæ mortalem longè excederet.
 Parabat Pontifex alloqui, & multa
 rogare, cum illa graui, & maiestate,
 pleno sermone, sed quem comitas,
 & cælestis suauitas temperaret, prior
 compellat, & amicè increpitem ac-
 cusat, quòd serius ad ægrotam acces-
 sisset. Tene Pater, committere po- *Eius al-*
 tuisse, vt filiam, quondam tibi tam *loquor.*
 G dilectam,

dilectam, tum defereres, cum maxime tuâ operâ subleuatam oportuit? Atqui tuum erat, postremùm me Sanctissimo Christi corpore reficere, tuum, animum, terris pridem fatigatum, ad cœlestia derigere: tuum hos oculos claudere, has manus componere, sudarium vultui, velum capiti iniicere, & quæ postremi officij reliqua sunt. Poterat optimus Pater iustæ excusationi, nec vanè, obtendere, quæ paulò prius exposuimus: Se procul abfuisse, nuntium serius accepisse; senium item, fatigationem, & penè morbum.

Sed horum ille nihil. Quin potius, & moram, & culpam fateri, veniam precari. Tum rogare, Ecquid iam iubeat, potissimum de iustis extremis, & sepulturæ loco? Ad quæ beata Virgo: Aduerte sis animum, Pater, & DEI, meamque mentem accipe. Oculos attolle, & quid in cælo se tibi ostendat, diligenter attende. Suspiciens ille, videt in nube radiante,

Mada-
1a,

radiante, Crucis signum, maiores ra-
 dios, crispanti iubare vibrans. Miran-
 ti, Virgo iterum: viden', inquit, cui
 loco salutare illud Vexillum immi-
 net? Wintershouium est, tibi olim
 puero calcatum, & cultum; primus
 tuus, pietatis, litterarumque ludus,
 Magistro Landualdo. Hic corpuscu-
 li mei exuuias, DEO authore, locari
 iubeo. Hæc te, Pater, accurare velim.
 Et cum dicto in cælum, domicilium
 iam suum, recepta est.

*Visum
mirabi-
le.*

Episcopus, altercante gaudijs do-
 lore Bilisiam celerius, quam pro eta-
 te, aut valetudine, properat: ibi quæ
 ad tumulandum Landradæ corpus,
 summo mœstarû Virginum studio
 apparari cognoscit, & in Templo de-
 signatum locum. Et cætera quidem
 gaudet, & laudat: sed de loco turbas
 expectat. Et iam aderant. Nam vix
 obiter de Wintershouio, & manda-
 to accepto, sermonẽ intulerat; cum
 oritur primùm murmur: tum cla-
 mores, eiulatus, & si licuisset conui-
 tia, mittere.

*Virgines
Biliffeses
negant
Landra-
de cor-
pus Wint-
tersho-
uium di-
mittere.*

tia. Nobisne Magistram, nobis Matrem auferri? Hic illa consecrata, hic nobis præposita: per eam nos hic instituta, & ad Religionis absolutam perfectionem informata: ab illâ vivere, & mori docta: hic illa vixit, hic mortua est. En hic eius corpus animâ vacuum iacet, vnicum nobis post eius excessum, solatium: & illud eripi patiamur? Eripiatur nobis sanè potius anima. Hoc in loco cæcos reluminavit, claudicantes erexit, alia tot prodigiosè patrauit: & nos prodigiosè crudeles, eam proiciamus? Tu ipse hic eius Magister, virtutum eius restis, & adminiculator: & nobis magisterij, & virtutum eius vnicum monumentum sæuiter iniurius, nescio quò auehas? Ah! ne pertende, Sancte Sacerdos. Nos potius quouis auehe, aut proiice. Non est Patris proles hæreditate spoliare: non Pastoris, tam gratis pascuis oves arcere. Illud postremò cogita, Parens optime, hanc ipsam domum in eius fundo,

do,

do, eius opibus erectam, Ecclesiam DEO propitiando additâ, quam ipse te consecrasset meministi: an ut utrâque, cum in vitâ non posset, post mortem pelleretur? Ignosce si nobis persuadere non possumus, vel illam, vel DEVM id iussisse. Reliquis in rebus omnibus, ut nobis solitum, tibi credemus: hîc nimis violenta sit, & coacta fides: quæ tamen, nisi spontanea sit, fides non fit.

Videbat LAMBERTVS, frustra se fore, si contra hunc torrentem niteretur. Itaque minimè dubius, DEVM & Sanctam Virginem, aliquo tandem modo effecturam, quod decreuerat; cedit in præsens; &, quo volebant loco, Landradæ corpus humari permittit.

Sed in triduum ieiunio sibi indicto, preces perpetuat exoratque supplex Numen, imbecillitati suæ veniam det: &, quod ipse indignus non potuerat, aliâ ratione repræsentet: idque puellis, solo amore peccanti-

G; bus,

LAMBERTVS,
frustra
pugnaturus,
indulget.
Corpus
Bilise
humatur.

bus, palàm faciat. Tum, aduocatâ concione, Vos quidem, inquit, mihi fidem nuper abrogastis; sed DEO potestatem non abstulistis. Agendum, hoc Sepulcrum aperite, & Corpus, quod condidistis, inspici- te; si tamen, vbi DEO vetante posuistis, dabitur reperire. Omnium animos inuasit horror, tam inopinata au- dientium. At veritæ, ne maius pec- catum peccarent, nî dicto audientes essent, trepidæ exequuntur, quod iubebar. Rem miram! rem stupen- dam! cum altius etiâ fodissent, quàm se paulò antè condidisse meminerât; ne vestigium quidem apparuit re- centis sepulturæ. Quin Sarcophagus ipse, quo corpus inclusum (erat in- gens lapis, & in eo arte excavata ca- pedo, quæ humano corpori exci- piendo esset) cum ipso corpore dispa- ruerat. Hîc stupere omnes, & mœ- stæ lumina humi defigere. LAM- BERTVS eas blandè solatus, iubet bo- no animo esse: DEVM, & quod con- stituerat

*Sed in-
de divi-
nitus
ablatū.*

stituerat, potenter impleuisse; & omnes docere hoc facto voluisse, Nō esse humanæ imbecillitatis, cælestia decreta leuiter temerare. Tum adscitis, qui secum proficiscerentur, Wintershouium petit. Meminerat loci, paulò antè, Crucis indicio mōstrati. Ibi fodi iubet. Nec multum terræ egresserant, cum apparuit locus saxeus, & in eo quàm decentissimè compositum S. Virginis corpusculum, facilè vt appareret, non humanâ id operâ actum, sed Angelorum ambizioso ministerio.

Wintershouij terra mandatum, reperitur.

Recurrent hoc loco non nemini redanimata cadauera, iussi cedere montes, marmoreum S. Clementis, medijs in fluctibus, Templum. Sunt omnia ista, fateor, Diuinæ potentiz argumenta. Sed annumerandum ijs etiam hoc nostrum: in quo & par apparet virtutis energia; & voluptas quædam hauritur tam inopinata, quàm paradoxum fuit & LAMBERTO diuinitus oblatum visum: & ad-

104 VITA S. LAMBERTI
miniculantibus Angelis, ereptum
Biliſiæ, donatum Wintershouio la-
crum corpus.

C A P V T XVI.

*Hubertus, & Oda, LAMBERTO
Magistro, Sancti euadunt.*

NON ſola Landrada, LAMBER-
TI inſtitutione ea euafit, quam
audiuimus. Plurimi alij in eius Scho-
lâ diuinam doctrinam hauferunt,
quos recondit obſcura, & inuida fa-
ma. Duos tamen non tacuerunt, qui
eius res geſtas paulò diligentius ſunt
proſecuti. Ii ſunt Hubertus, & eius
amita Oda.

*Huber-
tus, &
Oda,
LAM-
BERTI
operâ
ſancti.*

Hubertus Regio ſatus Francorû
ſanguine, Bertrandi Aquitaniz Du-
cis filius, Nobilitatis morem ſecutus,
totus erat in Aulæ ſtudijs, & vanita-
te. Sed cum ſupra alios pleroſque
emineret, ſplendor eius inuidiæ, vt
aſſolet, patuit. Adoleſcebat ille glo-
riæ, vt qui maximè, cum Ebroinus,
de

de quo supra plura diximus, ei insi-
 dias, & extremam perniciem, quod
 omnibus bonis solebat, struere cœ-
 pit. Erat Hubertus, non modo cæte-
 ris bonis artibus egregiè imbutus,
 sed prudentiâ in primis, Itaq; Ebroi-
 ni studia odoratus, & se longè eius
 potentiæ imparem agnosces, fugam
 præcipit, & Pipino Principi, cogna-
 to suo, qui tum in Austrasiâ rerum
 potiebatur, se in tutelam dat. Fuit ei
 Hubertus præ cæteris Principibus
 carus, iucundusque. Igitur pristinas
 occupationes repetens, tum alijs so-
 litis recreationibus, tum verò vena-
 tu maximè se exercebat. Oportuni-
 tatem Iuveni præbebant Arduenne
 saltus, & siluæ immensæ, in quibus
 dies totos, noctesque conterebat,
 captandis, figendisque feris, ad insa-
 niam intentus. Sed quod ille meræ
 voluptati, & animi remissioni tri-
 buebat, vertit illi, DEO illum vicif-
 sim venante, in salutem.

HUBERTUS E-
 BROINUM
 SAUENTÈ
 FUGIT.

Venatus
 frequens
 se exer-
 cet:

Nam dum aliquando prædam
 G 5 sequens,

sequens, longius à comitibus abripitur, ceruum prægrandem conspicit, non fugientem, sed vltro se offerentem obuium, canibus non ausis illum attingere, quem DEVS mittebat, vt Venatorem suum caperet. Et sanè cœpit. Cornua illi erant prægrandia: in quorū meditullio Christi Domini in Cruce pendentis conspicua effigies visebatur. Hubertus, pridem Christianus (etsi quidam parum cogitatè aliud senserint) genua humi figit, & trepidus, vt olim Moyses ad rubum, tam prodigiosi ostenti expectat euentum. Excussa illi maiore admiratione est admiratio. Nā illa ipsa Christi dierecti imago clarè illum alloquitur, iubetque, Omisâ deinceps venatione belluarum, alia omnia cogitare, & salutem suam venari: quâ s̄ni ad LAMBERTVM Tungrensem Antistitem adite iubet, & eius præceptis accurratè parère.

*Prada
ipse fa-*

Ferus, & quadamtenus siluaticus siluam illâ ingressus Hubertus, mansuetus

fuetus inde egredirur, & cicur. Agnū esse diceres. Et nonne erat? Patto- rem sibi indicatum petijt, visum exposuit supplex, & pollicitus est, se, quoad viveret, non nisi ex eius præscripto, actiones, vitæque rationes omnes compositurum. LAMBERTVS Divinæ Clementiæ gratulatus, benignè illum complectitur, hortaturque, vanitates deserat, pietati operâdet, DEO se totum tradat: & quæ alia, res postulare visa. Hubertus impensius etiam, quàm iuebatur, omnia, & cum ingenti fœnore præstitit.

Taceo reliqua, volumine alio factis ampliter mihi exposita, quo eius Historiâ profecutus sum. Illud tantum hîc suggero, eam ipsam siluam, quæ venationi, & perpetuæ eius voluptati servierat, testem & consciam fuisse seriæ, diuturnæ, acerbæ eius pœnitentiæ. Nam in eam se abdens quàm profundè, plures edidit imo è pectore ductos gemitus, suspiria, singul-

Eius,
LAMB-
BERT-
TVM
Docto-
rem pe-
tit.

à quo in-
stantis,

vitæ ra-
tionem
mutat,

& Pœ-
nitentiæ
se dedit.

singultus, & clamores, quàm vnquam eo venante ibidem auditi erant vel latratus canum, vel toruorum cornuum reboatus. Denique adeo accuratè LAMBERTI præceptis paruit, vt eodem dubio procul orante, & à Numine exorante, præ tor alijs dignus iudicatus sit, qui, illo humanis rebus exempto, Episcopali eius Throno, dignus successor infidèret.

*Oda
eiusdem
LAM-
BERTI
monitis,
Sactam
Viduam
exhibet.*

Porro Oda, Beggis Aquitanorù Ducis vidua, Hubertum nepotem, cum in Austrasiam fugeret, comitata, LAMBERTI potissimum operâ, & hortatu, Principis fastu abiecto, sobrietatem, modestiâ, castitatemque, ad mortem vsque constanter exercuit. Erat tamquam altera Magdalena, & vt hæc ad Christi Domini, sic illa ad sancti Episcopi pedes sessitâs, & verborum eius semen, optimâ, & opimâ cordis sui terrâ excipiens, è foecundo nouali fructus, pietatis assidue vberrimos producebat. Erant illi opes amplissimæ, & planè pro
Principe.

Principe. Eas in eos, qui egerent, largiter effundebat, & terræ lutum calcabunda, æternis tabernaculis è corpusculi angusto carcere eminens transferibebat.

Tenuit hoc institutum vsque ad illius carceris beatum egressum, quo quidquid perpetuæ liberalitati supererat, in divinū cultum erogavit, & in opulento prædio suo Amaniâ, ad Mosæ ripam, haud procul Leonidîo, Ecclesiam magnificè extruxit, & regiâ profusione dotavit. Visitur hodieque hoc pientissimæ Matronæ sanctitatis monumentū, in quo Canonici complures, ossa eius venerabundi colunt, & DEO, qui talem fecit, Ecclesię ritu perpetuo, quotquot diebus laudes canunt.

Habes, Lector studiosè, laborum S. LAMBERTI, paucos è plurimis fructus, quos aliquot Scriptorum fidelia monumenta posteritati prodiderunt; cæteros, & multos, & præclaros premente maligno silentio.

Restat

*Sanctæ
mori-
tur:*

*& in
Ama-
niâ, libe-
ralitatis
sua Mo-
numēto,
cōditur.*

Restat vltimus sanctissimi Pontificis Vitæ actus, tragicus planè; & in quo describendo calamum optare liceat, sterili isto meo feliciorem.

CAPVT XVII.

Pipini Principis Adulterium, & Pellisatus. LAMBERTI in eo reprehendendo Sacerdotalis constantia.

*Pipinus,
laudatus
Prin-
ceps.*

PIPINVS Herstallus, hoc tempore, vt antea exposuimus, Austrasiam tenebat, Princeps pacis, belliq; artibus clarissimus. Felix, si cœptum vitæ tenorem, pietatis, cui totus adiectus hæctenus erat, memor, inconcussus tenuisset. Sed væ sanis libidinibus, tamquam decumanis fluctibus, in transuersum actus, famæ, & salutis propemodû, fœdum naufragium fecit.

*Eius cō-
iunx
Plectru-*

Erat ei coniunx Plectrudis, mulier lectissima, vt mariti primordijs digna, sic indignissima secutis. Genus

nus eius non traditur. Germanicæ *dis, la*
 originis fuisse, suadere videtur no- *etissima*
 men; & quod Colonia Agrippinæ *fœminæ*
 aliquamdiu sedem fixerit: Capito-
 lijque Ecclesiam, quæ adhuc ibi con-
 spicitur, ædificauerit, dotaueritque.
 Cum hâc plures annos in matrimo-
 nio vixerat Pipinus, liberosque ex eâ
 susceperat, Drogonem, & Grimoal-
 dum, Iuuenes parentibus dignos.
 Nihil illi deesse videbatur eorum,
 quæ hominem in vitâ beatum red-
 dere queant (si tamen est aliqua in
 hâc vitâ beatitas) excepto animo, qui
 omnia ista rectè ferret. Defuit planè
 illi animus, ad resistendum turpium
 amorum petitionibus, qui ad alia
 omnia vincenda, superabat. Id quâ
 ratione acciderit, paucis est exponē-
 dum.

Erat in Pipini aulâ, magnus No-
 bilitatis numerus, cōcurrentibus eò,
 vt sit, certatim Dynastis, vicinis, re-
 motisque. Hos inter facile excelle-
 bat Dodo quidam, ex eorum ordine,
 quos

*Dodo in
Pipini
Aula
Palati-
nus, ca-
teris e-
minens.*

*Male
illius ar-
tes.*

quos comites vocabant, genere in primis clarus, cognatione, opibusque iuxta potens. Hic obsequijs, & turpi adulatione grassando, ita Pipini animum coeperat, ut nihil fere maioris rei patraretur, cui non Dodo author accederet. Ignorantia peccabat Princeps, Dodoque corruptum vitijs animum summo artificio celante. Dubitantes, maior in eo superbia, an avaritia. Illa ad imparem fortunæ eius magnitudinem tumidum iuvenem stimulabat dies, noctesque hæc, rem familiarē, etsi iam affatim copiosam, in immensum augere iubebat. Hoc, eò magis, quòd amicos, & clientes quàm plurimos sibi addere satagebat, quorum operâ ad destinata uteretur. Eò usque utraque illa pestis eum occupârat, ut nec domesticæ castitati parcerit, dum Principi carior alijs omnibus maior: multis etiam formidabilior euaderet.

Soror ei erat adolescētula, in quâ nemo sapiens quicquam laudaret,
nisi

*Plectru-
dis palſa
queri-
monia.
quas Pi-
pinus
ſpernit,*
*ut &
publicis
odiam.*

tum nequicquam modò blanditijs,
modò lacrymis, modò minis, & di-
uinæ vltionis terrore, à tanto dede-
core reuocare. Solus ille, cupiditate
cæcus, nihil moueri, ſed in væſaniâ
perſtare. Alpais porrò triumphare,
& ſeſe iam pro reginâ vindicare.
Dodo ambitione ardens, ſibi perſua-
dere, nihil ſibi deinceps factu diffi-
cile, vt qui ſororem haberet, Princi-
pis conſortem. Hæc omnia nemo
bonus probabat: ſed nec quiſquam
palàm improbare auſus erat, cum
ſinguli Alpaidis, & Dodonis poten-
tiam vererêtur, quos apud Pipinum
omnia poſſe conſtabat.

*LAM-
BERTVS
hac in
re, ani-
mi in-
certus,
nutri-
bundus:*

LAMBERTVS tamen, cui illud
Apoſtoli cum altè animo inhæſerat;
*Obedire oportet DEO, magis quam ho-
minibus;* hinc dolore, & commiſera-
tione; inde iuſtâ indignatione ac-
cenſus, quotidie ſecum ipſe conſul-
tabat, quidnam tandem tali in re ac
tempore factò opus eſſet. Sileretne?
DEVM grauiter offenderet, cui com-
miſſarum

missarum sibi ouium accurrata ratio reddenda esset. Loqueretur? irâ incenderet Principis animum, iam antè libidinis facibus plus satis ardentē. Quid tum verò? An ideo omittendum commonitionis; fors & increpationis officium? At inde nihil expectandum aliud, quàm vt in momentē sæuaret, Dodone potissimum, & Alpaide instigantibus. Esto. Possit tamen euenire, vt Princeps, DEO eum respiciente, se monitus ipse respiceret, & vitam tanto scandalo infamem, in melius mutaret. Quod si aliter eueniret, Episcopum certè suo officio functum, testimonium habiturum bonæ conscientix, & DEI gratiam, dum hominis gratiam non respicit, non amissurū. Aliud maius malum expectari non posse, quàm vt in tam bonâ causâ vitam poneret. Hoc verò potius censendum esse summum bonum. An, si Martyrij lauream, pro fide contra Infideles certanti, non daretur referre, parum

esse, si pro castimoniâ certans, de turpitudine referret? Sic, alternantibus sententijs, secum LAMBERTVS disceptabat, incertus quam in partem statueret. Vicit tandem, vt oportuit, pietas, vicit ratio, vicit, qui meliora suggererat, DEVS.

*monen-
dū Prin-
cipem
statuit.*

*Monen-
tis Ora-
tio,*

Ergo Pipinum adit, & Iohannis Baptistæ instar, suaviter quidem, ne asperioribus verbis irritaret: fortiter tamen ei exponit, quantò se dedecore, domumque vniuersam conspurceret. *Nonne vides, Princeps clarissime, quantam iniuriam Vxori, quantam liberis, quantam Matrimonij Sacramento irrogas? Non meministi, Ebroino, eiusque totam factione, contra te arma ferente, quantam Numinis beneuolentiâ, quâ propitiâ eius manu, quâ forti liberatus sis, quantam gloriâ auctus? Et maiora decora te manent. Circumspice undique vicinos: omnes te respiciunt, imo suspiciunt. Omnes hactenus te, vel amici amant, vel inimici, si qui sunt, tremunt. DEI hæc omnia munera sunt, Princeps*
magna

magnanime. Eius liberalitate, & fauore, omnia adhuc aduersa superasti. Eiusdem voluntate, age, supera libidinem, supera teipsum. Conijce oculos in tot tuos necessarios, sanctitate toto orbe clarissimos. Veniat ibi in mentem sanctissima Gertrudis, mater tera tua: sanctus Arnulphus, avus tuus paternus, primo Maioris domus Regij dignitate functus; tum deinde Metensis Ecclesie Episcopus, Episcoporum exemplar. Sed pra omnibus, potesne obliuisci Begga matris tuae, quae vitam adhuc degens in terris, quae vita caelestium esset, manifeste, quasi inde delapsa, ostendebat.

Quid illam nunc dicturam putas in hoc dedecore, si adiuueret? Quid porro filij tui, Drogo, & Grimoaldus, quo animo turpitudinem tantam laturos censes? Illine tranquille videant, pro Matre sua Pletrude, Alpaidem pellicem dominantem, & pudet reliqua addere. Age igitur, ad cor reuerrere, & redde aulae tuae honorem, populo laetitiam, liberis quietem, uxori thorum maritalem,

H ;

tibi

tibi ipse præpotentis DEI consuetum ductum, & fauorem, DEO debitam obedientiam, cuius nutu Iohannes, simile ob facinus, increpuit Herodem, Nathan Dauidem, Regem, hoc excepto, secundum cor DEI. Audi adhuc eiusdem horrendum fulmen: Qui glorificant me, glorificabo eos: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Scin' quàm ignobiles? Accipe hoc postremum, & si quid honesti animi reliquum tibi est, horrore concutere: Recedentes à te, in terrâ scribentur,

*irrita a-
pud oc-
cupatū.*

Constabat, vera dici, neque hoc nesciebat Pipinus. Sed animus turpitudine corruptus, omnia hæc respuebat: & tot grauissimis rationibus, vnica de Alpaide cogitatio longè præponderabat. Videbat ille meliora, & probabat: sed deteriora sequebatur. Itaque LAMBERTVS, laborum irritus, hoc solum habuit reliquum, vt, cui prodesse ipse nihil posset, eum illi commendaret *in cuius manu cor Regum est*; quod & assiduè, & multis

multis profusis precibus, lacrimisque
faciebat.

CAPVT XVIII.

*Galli, & Rioldi iniuria in S. LAM-
BERTVM: Eorum cædes.*

NIHIL peccato fecundius: si
obseueris, centuplicatò enasci-
tur. Pipini adulterium, Hydra erat è
tartareis lacunis emerfa, centumge-
mino capite formidanda. Nec pro-
derat, aliqua excidisse, eũ vel eadem,
vel alia, & plura mox repullularent,
cum magno fcenore impietatis. Re-
fertur ad Alpaidem sermo S. LAM-
BERTI, quem cum Pipino habuerat;
& adulatoribus solempni more, quæ-
cumque exacerbando animo erant,
augentur decuplum. Muliercula im-
pos animi erat, eoque per superbiam
progressa, neminẽ vt crederet, tantæ
audaciæ esse debere, qui dictorum,
factorumue eius quidquã carperet.
Itaque furore amens, Dodonem fra-

*Alpatis
in Mo-
nitorena
LAM-
BER-
TVM
scilicet*

*Dodonē
fratrem
furijs
exagi-
tas:*

trem conuenit, quæ audierat, expo-
nit, augetque & ipsa omnia ad inui-
diam. Tum lacrimans, eiulans, capil-
lum vellens, obtestari germanum,
misereretur afflictæ sororis: memi-
nisset, quamdiu ipsa regiam teneret,
non posse ipsi fratri non esse quàm
optimè: sin expelleretur ipsa, corrue-
re simul fortunam illius: vtriusque
vnum necessariò esse, ac fore vel bo-
norum, vel malorum omnium con-
sortium.

*omn, &
alios.*

Post fratrem, ad alios quoque ami-
cos, & consanguineos, lymphata di-
scuttrere, & eadem, aliaque similia
inculcare: sigillatim vocare, & obte-
stari omnes, tãtis vt malis remedium
inuenirent. At illi, pro se quisque
sortem eius miserari, LAMBERTI
proiectam scilicet audaciam execra-
ri, consilium denique, & auxilium
liberaliter, & certatim polliceri.

*Gallus,
& Rioldus,
Si-
garij.*

Gallus, & Rioldus fratres, Dodo-
nis necessarij, præ cæteris cognatis,
LAMBERTO infensi, Dodonē ipsum
adeunt,

adeunt, & ut erant, incertum stolidiores, an vaniores, importunum Sacerdotem laceffendū primò vexatâ eius familiâ: tum, nî quiesceret, cum suis obtruncandum, clamitant: ad hoc pulcherrimū facinus se duces offerunt. Dodo, & sororis furijs, & horum cohortatione agitatus, ipse animi atrox, & fiducia nimius: illi omnia polliceri, his annuere, & vltro ad perniciofa consilia exequenda, præcipites impellere.

Armantur igitur familiae, & ad sceleris societatem assumitur flagitiosissimus, & seditiosissimus quisque. Hi iam sparsi, iam coâctis cœtibus, quicquid poterant, Episcopo contumeliæ inferebant. Iam incendentes in plateis incurfabant; iam loquentem clamoribus, sibilis, strepitu quovis turbabant; iam rei eius familiari damnum variè inferebant. Porro autem in eius comites, & servitia in primis efferati, vbi cumque obuios habuissent, animi sui in eos acer-

quibus
ducibus
armati
improbi,
LAM-
BER-
TVM
dixerant;

eiusque
familiâ
variè
exagi-
tant:

H s

acer-

*idque
Princi-
pe vel
ignaro,
vel ne-
gligente.
LAM-
BERTVS
ad pa-
tientiam
horta-
tur.*

acerbitatem expromebant, Vulgaria iam erant, & quotidiana, conuitia, fannæ, ludibria, minæ: quandoque & cubito, pede, pugno petebantur; neque fustibus parcebatur. Prorsus res ad apertum bellum pertinere videbatur. Pipinus vel ista ignorabat; vel ne suam Herodiadem contristaret, negligebat. At LAMBERTVS, pleraque & ipse ignorans, cum horum quædam cognouisset; veritus, ne in deteriora res erumperet, suos monebat, cauerent etiam, atque etiam ne pax per ipsos turbaretur; quin etiam, cum ab alijs impeterentur, memores essent Christianæ mansuetudinis, & patientiæ: & sic agerent, vt in medijs aduersariorum turbis, animi æquitatem semper retinerent. Erat eius familia optimè instituta, magistri monitis, & exemplis perpetuò eos in officio, & modestiâ continentibus. Difficile tamen erat, non moueri continuâ Dodonianorum insolentiâ, quæ nec finem habebat, nec modum:

modum:

modum; & naturâ docente, inter se
 dictitabant, Vim vi repellere, ius, fas-
 que esse. Quâ sententiâ omnibus pro-
 batâ, clam LAMBERTO, omne eius fa-
 mulitium deinceps armari, & cum
 telo esse; Pontificis cognatis ad id
 in primis hortantibus.

*Sed ar-
 mantur
 & illi
 certi
 vim vi
 pellere.*

Euenit paulò pòst, vt Dodonis par-
 tianij, factò globo, in Episcopi quos-
 dam famulos, fortuitò obuios incur-
 rerét. Visebantur in primâ acie Gal-
 lus, & Rioldus, cæteros sublato cla-
 more, ad fortiter agendum, cohor-
 tantes. Lambertini, vbi se ab armatis
 peti vident, tollunt & ipsi clamorem,
 & concurrentibus socijs, arma expe-
 diunt. Tum in se mutuò coorti, pu-
 gnâ inceptant. Confligitur atroci-
 ter: vulnerantur vtrimq; non pauci:
 quidam etiam cadunt. In quib; duo
 duces, Gallus, & Rioldus, in fronte
 pugnam cientes, haud inulti confo-
 diuntur, & infelicem vitam peiore
 morte commutant. Ciues intra mœ-
 nia bellum atrox conspicati, arreptis,
 quæ

*Pugna
 inter
 utrosq;
 Cadunt
 plures,
 in qui-
 bus Gal-
 lus, &
 Rioldus.*

quæ fors obtulerat, telis, infestos separant: diuersi diffugiunt, pars, ut vulnera curarent; omnes, ut imminentem à Principe, facinoris ultionem euaderent.

E pluribus Scriptoribus, solus Rennerus memoriæ prodidit, Gallum, Rioldumque à Petro, & Andoleto, LAMBERTI cognatis, cæsos esse. Sed mihi rem intentius consideranti parum id fit verisimile; utique, cum, ut aliam fileam, duo isti deinceps cum LAMBERTO, liberi, & innoxij perseuerârint; quos ipse dubio procul à se amouisset, ne eam cædem vel iussisse videretur, vel probare: adde Pipinum, ab Alpaïde, & Dодone incensum, eam familiaritatem, & libertatem, sui contentum fuisse interpretaturum.

CA.

CAPVT XIX.

LAMBERTVS à Pipino Iupiliam inui-
tatus, consuetam constantiam obtinet.

SEDATO tantisper tumultu, re-
conditæ inimicitæ, vel sublata
videbantur, vel frigere: & de vltione
altum erat apud Pipinum silētium;
forsitan, quòd iure videbantur Lam-
bertini, iniuriam armis illatam, armis
repulisse.

Venerat per eos dies Pipinus Iu-
piliam, villam haud procul Legiâ,
lambente hinc Mosâ flumine, inde
oppanso monte, amœnissimam, cui
aduersâ in ripâ, obiacet Herstallum.
Huc Princeps, tamquam Regni ne-
gotia quædam tractaturus, cum alijs
Proceribus, LAMBERTVM euocat.

Ille, optimè sibi conscius, & DEO
fretus, aduolat intrepidus, vel de
omnibus rationem, si rogetur, red-
diturus: vel pro æquitate, si sic visum
numini, animam positurus. Excipi-

tur

Iupiliam
Pipinus
LAM-
BER-
TVM
vocat.

Excipi-
tur cõ-
miter.

tur à Principe, à pellice, cæterisque domesticis, vultu non modò pacato, sed iucundo etiam, hilarique: et si dubitari non poterat, plerosq; iram conceptam dissimulare; simulare lætitiâ. Nihil horum Sanctum fallebat: sed suo instituto, inimicos pro amicis habens, omnibus eundem se, constanti animo, & ore exhibebat.

Alpâis talem hospitem in Aulâ videns, variè animo afficiebatur. Nouerat se tot flagitijs coopertam habere, & in eorum cœno adhuc volutari. Nouerat Episcopum aduersus talia obfirmatum: meritoque verebatur, ne, qui tantâ libertate Principem ipsum monuisset, sibi idem non parceret. At verò cum eum videret intra regis domus penetralia, tam humaniter cum omnibus versari, & colloqui, nonnullam spem concipiebat, fore, vt sedatiore iam in se animo esset: & , si non blandiretur, si pellicatum non probaret; at certè indignari desineret, & Principis
 animam

*Pellex
inter
metum,*

& spem.

animum ultra non exasperaret.

Ad prandium ut ventum est, quod primum poculum Pipino allatum, Episcopo tradi iubet, ut ex eius potius manu, & sacerdotali consecratione lustratum, acciperet. LAMBERTVS Principis expectationem tali in re non fallendam ratus, & poculum accepit, & illi post lustrationem, porrexit.

LAMB.
primum
poculum
a Prin-
cipe ac-
cipit, &
reddit.

Tum verò maiorem in spem erigi & pellex, & Proceres, ac sperare, sibi quoque id favoris à tam benigno Antistite non negandum. Itaque dum singuli ambitiosè poculum ex sacrâ manu captant: ausa etiam Alpais suam extendere, ut alijs tantum bonum præriperet. Hic LAMBERTVS, hæcenus agnus visus, repente apparuit Leo: & ad Principem conuersus, grauiter questus est, tantâ audaciâ esse mulierculam, ut manu omni turpitudine inquinatâ, sacram Episcopi manû tentaret contingere: eoque facto, eius communionem

Alpais
idem
ambitus

Episco-
pus de
impudē-
tiâ que-
stus.

impu-

voti ir-
ritâ re-
linquit.

EMMA

EMMA

EMMA

EMMA

Quidam
constan-
tino lau-
dant:

Pipini
dubium
animus:

at Al-
paidis,
furens.

impudenter ab invito extorqueret. Et cum dicto à mensâ surgit, & domo ipsâ concitus egreditur: obstupescens qui aderant, rarò visam in præfule constantiam, & inuictam animi firmitatem.

Non decrant, qui factum laudarent: neque Pipinus ipse, in quo Christianæ abhuc pietatis semina latebant, palam improbare ausus; dubitantibus interim plerisque, quid animo reconderet. At Alpais, etsi se turpiter dehonestatam publicè videbat, amorum tamen Principis securâ, aliâ LAMBERTVM arte vincere aggreditur.

Principis accitu, vesperi rediturus expectabatur. Obtinet illa à suo concubino, illi vt omnino vetet, ne in salutatâ coniuge suâ discedere audeat. Hoc enim nomine tam honesto turpissimum adulterium prætexebat. Exarsit ad hoc mandatum constantissimus Sacerdos: &, Absit, inquit, ð Princeps, absit à me tantum facinus.

facinus. Scio, me in meliore Scholâ in-
 stitutum, & memorem præceptorum
 optimi Magistri, cuius illud scriptum,
 animo meo altissimè insculptum, stilo
 planè adamantio. NE COMISCIBAMI-
 NI FORNICARIIS: & alterius: QUI
 DICIT ILLI AVE, COMMUNICAT O-
 PERIBVS EIVS MALIGNIS. Egone, ut
 communicem? Ab! nunquam, nunquam.
 Tibi eadem mentem velim, ô Princeps:
 neque aliud quidquã cordi meo agrius
 est, quàm quod te eius amoribus video
 irretitum. Quibus nî te extricas, malè
 metuo, ne, cum minimè expectes, illius
 ultionem experire, qui Acuet duram
 iram in lanceam; & pugnabit pro eo
 Orbis terrarum contra insensatos.
 Ab! caue, caue; & potius cum eo, &
 pro eo pugna contra insensatam istam,
 ut, si sperari potest, discat sensum, &
 sapientiam. Et, si minus, tu certè eius in-
 sania ultra particeps ne sis. Tantum
 effatus, inde se proripuit concitus,
 ultra nec adulterum, nec adulteram
 conspecturus.

LAMB.
 in sententia
 con-
 stans,
 Princi-
 pè hor-
 tatur, &
 addit
 minas.

CAPVT XX.

LAMBERTI *caedes impiorum furore decernitur: DEI ostento imminere significatur.*

ALPAIDI, & Dodoni nihil iam reliquū videbatur, nisi, vt eum medio tollerent, à quo hoc tantum sperari poterat, vt in dies magis, magisque eorum se libidini opponeret. Simul verebantur, ne Pipinus, Sancti Viti auctoritate persuasus, Vxorem Plectrudem tandē reuocaret, quod sine vtriusq; ruinâ, vt ipsi interpreta- bantur, fieri prorsus non posset.

*Alpais
in Pon-
tificis
caedem
anbelat.*

Et Alpais quidem, quæ hæcenus Herodiadem se, pellicatu suo præstiterat; extremum actum tragœdiæ imponi ardebat. Diceres, Scorpionem esse, cuius toto corpore fasum venenum, in caudâ maximè ferit. Nihil itaque artis omisit quò fratri persuaderet, vti LAMBERTVM primo quoq; tēpore obtruncandū curaret.

At

At Dodo, & sororis furij, & suis
 agitatus, dira cōsilia voluebat animo:
 neque dignum se ratus, Episcopum
 quouis modo occidere; eum, eiusq;
 totam familiam, atrocissimis exem-
 plis, vitâ exuere parat.

Conuocat eâ fini hominū turbam
 ad iusti propè exercitus modum: sed
 fæcem hominū, potius quàm homi-
 nes. Cateruz erant facinorosorū, qui
 tāquam stipatores, si quis dirū quid,
 & execratum pararet, adesse consue-
 uerant: nam & operam, & animā ve-
 nalem habebant. Si quis impudicus,
 adulter, ganeo, patrimoniū suum la-
 cerauerat, aliena insuper bona diffi-
 pauerat: si quis conflato pridem ære
 alieno grauabatur: si quis furto, sacri-
 legio, aut alioqui flagitio quouis, ex-
 tremâ cum infamiâ laborabat: si quē
 anim⁹ cōsciū exagitabat: si quis ino-
 piâ, & cupidinibus flagrabat: postre-
 mō, si cui ob metū ex sceleribus, erat
 peccādi necessitudo: ij in illud latro-
 ciniū, verius, quàm militā nomē da-
 bant.

*Dodo fia-
milib.*

*furijs a-
gitatur.*

*Sicarij
ad LAM-
BERTI
cadem
cogituro*

*Ea fax
omnis-
modi
fneritq*

bant. Hæc turba cū cōuenisset, armis instructa, quæ quisque pro copiâ parauerat, Dodonem ducem accedūt, illis ipsis omnibus, quos collegerat, longè deteriozem, qui vbi congregatos, & frementes videt, minas spirans, & cædes, oleum camino additurus, eiusmodi orationem ad eos attentos admodum, habuisse fertur:

*Dodonis
ad eos
Oratio.* SCIO ego vos, fortissimi iuuenes, nihil eorum ignorare quæ modò dicturus sum, cum diuersi omnia à me iam pridem audieritis. Operæ tamen pretium existimaui, eadem vobis congregatis, iterum paucis inculcare, ut altius animis vestris insideat, quibus freti, pulcherrimum facinus adgrediamur. Multis, magnis tempestatibus expertus memini, quanta sit vestra fortitudo in periculis pro virtute ad eundis; quæ constantia in exhauriendis. Nouit hæc, & cum voluptate recordatur, cuiusque vestrum conscientia mens. Atque ea recordatio stimulat, ut quod nunc in manibus est, maiore
etiam

etiam animo, & alacritate, pro Principis honore, & pro vestris oportunitatibus, suscipiatur. Honorem Principis cum dico, magnum omnino aliquid dico, atque eiusmodi, quo nescio, an maius aliquid possit commemorari. Nam si semel concessum sit, ut improbis hominibus liceat reuerentiam Reip. Capiti debitam conculcare; ilicet pro Rep. latrocinium publicum habeamus. Neque vlla tam barbara, tam immanis natio est, quæ id inficietur. Iam si cuius Principi omnia debemus, atque aded vitam ipsam, & sanguinem totum; quid tali Principi deberi dicemus? Nostis Pipinum. Quæ facies totius Gallia fuerit, & huius nostræ Austria, cum Remp. capessuit, fieri non potest, ut memoriâ exciderit. Quæ porro hodie sit, ijdem intuemini. Verè dicere licet, pro seculo ferreo, aureum nobis, eius industriâ, & laboribus paratum.

Quosnam igitur homines esse oportet: homines dico? hominum portentâ dicere debui; sed tamen quos homines esse dice-

mus qui tali Principi, tamquam DEO Gigantes, sese cyclopica audacia opponant? Parum est opponere. Habemus qui palam eius vitam, & actiones arguant: qui magno sibi honori ducant, eum liberissimo ore, privatim, publiceque dehonestasse. Et huic barbaro facinori pietas, & Religio obtenditur. At quid illud hominum est? si e plebe infima aliqui, si ex ijs, qui vulgo facinorosi habentur, qui seditiones, & tumultus ciere solent, ista iactarent, tolerabilius videretur. Sed proh Diuum, hominumque fidem! eorum ista sunt, quos oportebat non modò ipsos præ omnibus esse subiectos, verum etiam quorum officium est, alios omnes, quod in se est, in officio, perpetuò retinere.

LAMBERTVS Episcopus, homo improbus, & ob flagitia pridem Episcopatu exutus, & in desertum deportatus (ubi eum æquius fuerat, reliquam vitam cum feris bestijs egisse) clementissimi Principis comitate, patriæ Ecclesieq; redditus, & honoribus plurifariam auctus: cui se, sueque omnia debebat pro tot beneficijs, eum
calumnijs

calumnijs appetit & tamquã impium
 & execratũ, petulantia lingua traducit.
 Populus ista quotidie è sancti istius An-
 tistitis ore haurit, & altè recõdit, Prin-
 cepts ipse, consuetis, & extra modum in-
 gestis beneficijs, ingratum animũ vincere
 aggressus, frustra fuit ab eo semel, iterum,
 ac tertium, procaciter, & acerbè incre-
 pitus. Quid potuit plus, hinc humanitas,
 inde ingratisimi pectoris improbitas?
 Mensa eum sua Pipinus adhibuit: at ir-
 risui ab illo habitus est. Quinetiam Con-
 sors Principis, soror mea carissima, nec
 salutatione, iubente quamvis Principe,
 dignata: & cõtumelijs, probrisque tur-
 piter affecta ab illo est.

Quid ab isto militari Episcopo arma-
 tam familiam memorẽ? quid propinquos
 meos Gallum, & Rioldum (horum mihi
 acerbissima recordatio lacrimas elicit,
 & vocẽ intercludit) immanissimè truci-
 dados? At post hec omnia, triumphãt im-
 probi homines de probis, de innocentibus
 nocentes: atque etiã de ipso Principe tro-
 phæum, ut hoste deniçlo, statuunt.

Vidatis quotidie hypocritæ illius fami-
liam exultantem, videtis domesticos
bene pastos, bene habitos, saturitatem,
& crapulam eructare. Opibus videli-
cet, & delicijs circumfluunt. Id cædibus,
alijsque flagitijs dignum præmium est.

At vobis res asperæ, spes multo etiã
deteriores: domi forisque tristis egestas,
æ alienum magnum, vestrum nullum:
vita misera, & quam præstet, si opus
sit, per virtutem proijcere, quàm per de-
decus turpiter amittere.

At nihil horum vobis ominari lubet.
Quin potius opes sese vltro offerunt. di-
uitia, & gloria. Arripite. Princeps, qui
innatã clementiã LAMBERTVM hostem
suum tot beneficijs auxit; vos, vindices
suos, non multò magis ornabit? A me
quoque, & à Sorore Alpaide, omnia
expectate, quæ in potestate nostrã sita
erunt. Neque hætenus nos quisquam
expertus est ingratos. Optima porro spo-
lia ex Episcopi domicilio ipsi reportetis
licet. Iam nũc nefarij hominis pecuniam,
æ supellectilem omnem vobis diripien-
dam

Iam condono.

Estote igitur viri, ut fuistis, & animis intrepidis hanc expeditionem aggredimini. Me vel commilitonem habebetis; vel, si iubetis, ducem.

Vnum hoc præ omnibus vos obseruare volo, ut cum in domum irrueritis, ipsum ilico caput petatis: & quidquid alijs fiat, Episcopum statim occidatis. Secundum hunc, caueate, ne euadant Petrus, & Andoletus, Episcopi cognati, quorum manus cecidisse mei cognati dicuntur. Ad extremum, totam illam scelerosorum hominum turbam, ne uno quidem effugiente, neci date: ac sic tandem omnibus direptis, onusti spolijs, vltiora, quæ dixi premia à me, ab Alpaide, & ab ipso Principe securi expeclate. Repeto postremo, quod ante dixi, Viri estote, & vicistis.

Hic ab omnibus acclamatum, secundo murmure, pugnam, iam nunc pugnam petentibus, & concussis armis, alacritatem, & belli cupidinem ostentantibus. Dodo, negans eam

Acclamatur à Sicarijs.

I J

horam

horam oportunitam; monitos quādo redirent, corpora procurare iubet, & in præsens agmen dimittit.

Dum hæc maximè Traiecti aguntur, stupendo prodigio aliâ parte ostēdit DEVS, quo loco apud ipsum, iustissimum Agonothetam, esset is, quem impij sic perdere festinabant. Nam vt testaretur, Quicquid hæcenus egisset, & pertulisset LAMBERTVS, id totum fecisse, & pertulisse, vt Crucis gloriam, & maiestatem extolleret: neque vnquam gloriatū, nisi in Cruce Domini sui IESV Christi, per quem illi mundus crucifixus, & ipse mundo: supra ipsum domicilium, in quo paulò post illi Martyrij decus conferre decreuerat, Crucem ostendit, immensâ luce radiantem, & specie tam amplâ, vt quidquid spatij cæli, & terram interjacet, fulgore coruscante illustraret. De hoc dum cogito, illud occurrit, voluisse Numen eo portēto palam omnibus facere, LAMBERTVM Crucis honoris, dum

*Cruce,
prodigiū
necis S.
Episcopi.*

dum vixit, addictum, ab eâ vicissim,
in excessu è vitâ, honorandum: quæ
viam illi ad cælum vsque micanti
lumine signâret.

Neque defuerunt è Dodonis ad
Sancti necem properâti globo, qui-
bus id Signum apertè conspiceretur,
DEO impios monente, si respicere,
& tam improbum inceptum omit-
tere vellent. Sed nimirum, *Impius,*
cum in profundû venerit, omnia, etiam
DEI ipsius miracula, furibundus con-
temnit.

C A P V T XXI.

*Necis S. LAMBERTI locus: Hostilis
agruinis eò aduentus.*

LOCVM, in quo neci datus LAM-
BERTVS, Scriptores omnes mo-
dicum vicum, & ignobilem vocitât:
etiam Godeschalcus, Sancti tempo-
ribus ita vicinus, vt pleraque ab eius
domestico Thiedoëno acceperit (su-
prâ nobis relatum) quæ de eo poste-
ritati reliquit.

Nemo

Nemo eum locum vel plenius, vel disertius descripsit, quàm Nicolaus, diligentissimus rerum LAMBERTI scriptor. Labet idcirco pluscula eius verba hîc ponere.

Loci, in
quo ca-
sus S.
LAM-
BERTVS
descri-
ptio.

Morabatur Christi Sacerdos LAMBERTVS in viculo non longè, superius à nobis dicto LEGIA, qui in valle situs, inter opaca nemorum, inter ardua montium, fontibus & fluviculis, per prona decurrentibus, valde erat delectabilis, & irriguus. Distat autem à Tungris, versus meridiem, vix tribus miliaribus.

Hunc locum, sicut narrat antiquitas, & scripta Patrum edocent, cum Beatus Monulphus, vicesimus primus Tungrorum Episcopus, quadam die, cum suis intrasset, captus situ, & amenitate, substitit, Propheticoque spiritu tactus: Eia, inquit astantibus, locus, quem Dominus ad salutem multorum fidelium suorum elegit, & quem per merita cuiusdam serui sui, postmodum magnificè illustratum, summis ciuitatibus æquabit. Statimque Ecclesiolam illic edificari præcepit.

præcepit, quam in honorem Sanctorum
Cosma & Damiani Martyrum Domi-
no dedicauit.

Hæc idcirco de statu, & habitu Le-
gia interseruimus, ut liquidd sciamus a
quibus augmentum acceperit initijs,
& collato huius, & illius temporis
statu, meritò magnificemus DEVM in
Martyre suo LAMBERTO, patrono no-
stro: per cuius merita, per cuius corporis
præsentiam, promotus est locus iste in
Ciuicatis amplitudinem, & in Episco-
palis cathedræ sublimitatem.

Hunc ergo locum Vir DEI LAM-
BERTVS valde diligebat, & frequen-
ter, ut illic orationi, aut lectioni liberius
vacaret, inhabitabat. Quia tunc tempo-
ris adeo inuius, & solitarius erat, ut
quãdam Eremitæ videretur habere simili-
tudinem. Nam ab Occidentali, &
Septentrionali plagâ, montibus, &
siluis maximis claudebatur: Meridia-
nam verò partem, Mosa fluuius, reducto,
& curuato paululum sinu ambiens, in-
accessibilem faciebat, sed quæ Orientem
spectat,

spectat, adiri facilius poterat, Montanis à Mosà, aliquantum recedentibus, seseque iuxta eius ripam, quinque fere miliaribus, usque Traiectū, in directam, & speciosam longitudinem, clementer extendentibus.

Habebat illic, iuxta præfatum Sanctorum Martyrum Oratorium, LAMBERTVS compactam ex lignis cellulam, & alia huiusmodi ædificia, suorum usibus necessaria: in quibus his, qui tanti viri, digni habebantur contubernio, eius moribus vivebant, & instituebantur exemplo. Ipsa autem domus Pontificis, in nulla re differre videbatur, à cuiuslibet privati mansione, nullum penitus secularis pompæ, nullum libidinis, aut luxuriæ signum; sed multimoda patientiæ, & abstinentiæ proferens indicia.

Hæc Nicolaus, Leodiensis Canonicus, ante annos plures quingentis. Quæ nos descripta, voluimus, quòd & locum, in quo pro Christo, & veritate passus est LAMBERTVS, accurata

accurrata descriptione mirificè illustrant: & nos stilo nostro nequaquã tam disertè assequi potuissemus.

Ad hunc igitur locum, vt olim Christus Dominus, ad Oliueti Montem, consuetæ Orationis gratiã, se contulerat, cum Dodo de eius nece, consilia cum suis agitare.

Decebat videlicet, inuictum Pugilẽ, Orationis armis maximè assuetum, non nisi in Orationis Palestrã, extremam pugnam pugnare, & reportare victoriam: decebat, Martyrij candidatum, in Martyrum tam illustrium conspectu, Martyrij palmam promereri, & tamquam ex eorum manibus accipere.

Non fefellit immanissimum Dodonem LAMBERTI sanctum Diuersorium: quippe cum & propè abesset; & exploratores non deessent, vel spontanei per adulationem, & in Episcopum, liuorem, ac maleuolentiam: vel pretio conducti ab ipso Dodone, eiusque emissarijs.

Itaque

*Dodo
eius locũ
gnarus.*

Sicarios
eò inui-
tat.

Itaque dimissos nuper propositi
facinoris socios protinus reuocat, &
mox congregati; *En hora illa, inquit,*
& commilitones, tam diu, tam auide à
vobis expectata. LAMBERTVS in con-
suetu secessu Legia degit cum familia.
Securus est: & nihil minus, quàm ad-
uentum nostrum suspicatur. Vino sepulti,
ac somno omnes stertunt. Opprimendi
ilico, ante quàm moniti diffugiant, &
pedibus salutem querant, quibus in ma-
nibus, & fortitudine, spes nulla est.

& agmē
disponit.

Dum plura dicere parat, cum tu-
multu obturbât, & iam iam duceret,
rogant, ac propè imperant. Dodo,
animorum illo ardore vtendum ra-
tus, agmen disponit: qui in fronte,
qui à tergo, qui in mediâ acie pro-
ficiscantur, & mox pugnent, monet.
Meminerint Episcopi ignobile di-
uersorium, velut indagine cingere,
sic, vt ne vnus quidem reliquus fiat,
qui infestis armis non succumbat.

His, alijsque prouisis; quæ in rem
erant, Dodo armatus sceleratum
agmen

agmen præcedit, fiducia gnaritatis
 locorum, nocturnus iter ingressus,
 & furtiva celeritate, cum prima luce,
 domui Sancti Pontificis, cædes, &
 sanguinem anhelans, castra applicat.

CAPVT XXII.

LAMBETVS cum suis pro Veritate
 obtruncatur.

EO IPSO tempore quò impio-
 rum cohors dira illa cõsilia agi-
 tabat, & innocentissimi hominis
 cruorem sitiens, in eum arma expe-
 diebat: LAMBERTVS de more nocte
 insomnem in precibus ducens, ipse
 Sacerdos, & hostia, DEO sacrificium
 sese offererebat, crudo ferro, à crudio-
 ribus, & crudelioribus sicarijs mox
 mactandus.

LAMB.
 noctur-
 nus præ-
 catur.

Præfaga imminentis mali, dicam,
 an boni? eius mens, in nullo acquies-
 cebat, nisi in eo, in quo cælestes
 mentes æternum acquiescunt. Tota
 familia, alto sopore depressa dor-
 miebat,

K

miebat,

miebat, cum interea bonus Pastor, Gregi inuigilans, de eorum salute fatagebat.

*Ad eas-
de pre-
ces fa-
miliam
sopitam
excitat.*

Imminēte aurorâ, omnes excitat, ut, antiquo Ecclesiæ ritu, solemnes Preces funderent, quas Matutinas appellamus. Iis persolutis, fatiscen- te naturâ, necessitati paulisper cedit, & in somnum resoluitur: domesti- cis quoque, absoluto orationū pen- so, lectulum repetentibus.

*Excubi-
tor Do-
donis
globum
vicinum
nuntiat.*

Vigilabat ex omni numero, cui excubiæ commissæ, vnus, cui Baldo- ueus vocabulum. Is, luce iam albi- cante, Dodonis cohortem, domui iam proximam conspicatus, cæteris nuntiat, pro foribus astate armato- rum turbam, quam dubium non sit, in Episcopi exitium comparatam.

*LAMB.
arma
arripit.*

Ad eum nuntium, trepidi omnes exiliunt, & obuia tela, tuendæ vitæ, corripunt. Excitatur LAMBERTVS: qui in præsentissimo periculo, natu- râ monente, & pristinæ fortitudi- nis militaris memor, gladio dextram
armat,

armat, vel iniquam vim propulsaturus; vel non inultus moriturus. Sed mox, Episcopum se, non militem, recordatus, seipsum increpitās, Hoc cinea est, inquit, quod toties decantasti, *Iacta cogitatum tuum in Dominum?* Hoc cinea, *Hi in curribus, & hi in equis; nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus?* Valeat ferrū, quod Dodoni potius conveniat, quàm LAMBERTO. Abijcit igitur *& mox ferrū, vno DEO fretus, & suis omnibus suadet, vt idem præstet. Sed nec tam cito, nec facile persuadet.*

Andoletus in primis, & Petrus eius necessarii, nobili stirpe, iuventâ feroces, & armis adsueti, ferociter parant resistere, & totam familiam ad idem decus hortatur. Itaq; iam fores referant, vt vltro in hostilē cuneum, pauci in plures irruant. Sed accurrens LAMBERTVS, Siccine, ait, *faciant, Filij, Patrem non imitami?* sicci- *suos hortatur:* ne hætenus tam subiecti, nunc, cum maximè opus, non paretis?

illi ab-
nunt:

At flagitium est, aiunt, te, optimum Parentem nostrum non tueri: scelus est, te in hoc extremo periculo deferere: grande piaculum est, te oppositis corporibus nostris, non eripere quod in nobis est, furori impiorum. *Sed Ma* *rum.* *Absit, absit, inquit, o viscera* *gisti o-* *mea.* *Neque tempus iam, neque immi-* *ratione* *nens discrimen, his defensoribus eget.* *persuasi.* *Testor consciam mentem meam, nihil iam a vobis mihi gratius praestari posse, quam ut Martyrij palmam, quae iam in manu est, ne mihi per falsam caritatem eripiatis. Quin vos omnes obtestor, ut, qui haecenus adeo fideliter, & constanter, viventi obsecuti estis, morientem, commorientes ipsi non deseratis. Scio, vos amoris mei eam defensionem parare: sed velim vos mihi credere, nunc, si unquam aliis, serio, & ex animo loquenti, nullam re vos mihi magis gratificari posse, quam si una mecum, pro optima causa, pro veritate, inquam, pro matrimonij Regij honestate, pro DEO, & Christo eius, vitam generose modo ponatis, qua aliis,*

aliàs, cum minimè expectetis, per summum fortasse dedecus proiicienda sit. Date hoc amori meo, cui video vos velle obsequi: date caritati Christi, unici Magistri nostri, & eius Sanguini pro vobis fuso, sanguinem liberaliter refundite: date denique vitæ beatæ, & æternæ, pro quâ adipiscendâ, miseram, & momentaneam perdere ne parcitote.

His verbis, cælesti ardore à Pontifice prolatis, cedere omnes, & accensi animis, nihil æquè optant, atque vitam, sanguinemque DEI causâ profundere. Et quidem præ reliquis, Petrus, & Andoletus, à Sancto sibi ignosci, & peccata fassî, ab ijs absolui rogant. Ille successu lætus, cum omnes Episcopali potestate noxijs soluisset, generosè expectare iubet animorû per vulnera, è mortali carcere egressum, & in æterna cælorum palatia, beatum ingressum. Ipse in intimum conclave se penetrat, & extremum Gregi suo officium, per preces diuino amore ar-

tandem
parent.

LAMB.
preces
repetit,
ysq; in-
motam.

K 3 dentes, tur.

dentes, perfoluere aggreditur: simul pro Principe, & immixtis percussoribus, intentius orans, & eorum sceleribus ignosci postulans: quibus & ipse ex animo ignoscere, in ultimo illo agone, non fide potestabatur, ut ipse sibi à summo Iudice ignosci, eius tribunali iam iam sistendus, postularer.

*Dodonis
turba
irruunt,*

*& occurrētes
bruci-
dant.*

Inter hæc Dodoniani domus portas ariete prosterne, furiosè irrumperere, obuium quemque, nemine resistente, prosternere, omnes, vice pecorum odtruncari: è quibus Petrus, & Andoletus, quanto antè fereciores, tanto iam ad vulnera paratiores, primi cadunt. Alij super alios secuti, oppositis pectoribus, infestas cuspides læti excipere, & Magistri monitu, & exemplo, carnificibus suis veniam à clementissimo DEO precari.

Patratâ iam omnium domesticorum cæde, solus supererat Paterfamilias, quem præ omnibus perditum

cum cupiebant. Eum cum nuf- LAMB.
quam in turbâ vidissent: clamant, *undique*
fugâ sine dubio salutem quæsiuisse. *quæri-*
Itaque mutuo hortati, ad inuesti- *tur,*
gandum effundi: pars vicina domus
circumspicere: alij per viarum nota,
& ignota diuortia discurrere, & fu-
gientem longius insequi.

Sed qui intra domicilium re-
manferant, occultatum vbique oc-
cultiore in antro arbitrati, angulos
omnes, omnia cubicula, solaria, pe-
nuaria lustrant, nec nisi conglobati,
& ferri aciem prætendentes, metu
insidiarum. Ne quid intentatum,
aut non perquisitum relinquerent,
non defuit, qui in ipsa domus tecta
euaderet, si fortè prædam reperiret,
quam cruento animo vestigabat.
Atque ecce, dum furibundus omnia
circumspicit, videt LAMBERTVM, *eademq;*
passis, crucis in modum, brachijs, *reperitus*
humi, quàm longus erat, porre-
ctum, necem expectantem. Hic
ille carnifex, tamquam ferâ reper-

*configi-
tur.*

tâ, exultans, & hastile quassando
crispans, costas sacrosancti hominis
transadigit, & ruptis candidissimis
pectoribus, cor illud, totius Diuini-
tatis domicilium, configit: ac sic an-
helanti animæ iter in beatæ æterni-
tatis arces aperit.

*LAM-
BERTI
vita
breui-
ssima.*

Hunc sanctissimæ vitæ finem ha-
buit heros sanctissimus, dignus, si id
humana conditio ferret, qui nun-
quam moreretur. Quadraginta to-
tos annos Tungrensem Cathedram
tenuit, in summâ temporum varie-
tate nusquam euarians, semper sibi
similis. Ipsa quoque extrema ætas,
senecto corpore, animo viuido
semper, & erecto fuit. Dubites,
maior in agendo fuerit, an in perfe-
rendo.

A Sanctis Landoaldo, & Theo-
dardo, illo, Confessore; hoc Marty-
re, institutus, vtrumque accurratâ
imitatione expressit. Ab ipsâ pueri-
tiâ, suis affectibus, ratione dirigente,
imperauit: quod indicatum à Deo
videtur,

videtur, dum ei ignem, atque aquam obtemperare voluit; nam & ille vestis sinum non vssit; & ista è loco arido opulenta exilijt. Non contentus Ecclesiam suam optimis præceptis informare; exemplis fulcire: eam non parum amplificavit, adiunctis Taxandris, finitimisque populis.

Amicis vsus est, & Sanctis: Willibrordo, Huberto, Odâ, Landradâ, alijs: quorum partem virtutibus imbuuit, & ad mundi vanitates calcandas incitavit. Regibus, & Principibus, ob vitæ innocentiam, carus fuit, iucundusque. Nec minus magnos, & potentes, infestos expertus est. Ab Ebroïno, Pharamundo, Alpaido, Dodone, vexatus, vel fugiendo, vel latendo, vel ferendo, (quod nobilissimū vincendi genus est) victor fuit. Pipinus, quamdiu intra Christiani officij cancellos stetit, erga illum affectus fuit, vt qui maximè: vbi per execratam vitam, DEO inuisus factus est; protinus etiã LAMBERTO

K 5

inimi-

inimicum se præbuit. Denique, vitæ solitariæ, & actuosæ perfectum Exemplar, cum vitæ finem inuenit, quem audisti xv. Kal. Octob. Christi Domini anno sexto, & nonagesimo supra sexcentissimum, cum ætatis annum ageret sexagesimum primum. De loco, in quo gratissima hæc hostia DEO, cecidit, iam dixi fuisse Legiam, & in eâ conclaue intimum, conscium tot orationum, meditationum, & tot diuinarum gratiarum, quæ sacrosancto homini cælitus, liberalissimâ Numinis manu superfundebantur. Ita de conclavi constanter Authores scriptum reliquere.

*Locus,
in quo
LAMB.
crucida-
tus.*

Vnus Nicolaus intra SS. Martyrum Cosmæ & Damiani ædem, & ante Aram, percussus scribit: quod omnino credibile censeretur, nisi cæteri contrarium assererent, quibus assentiri rectius est, & maximè Godeschalco, qui eo ipso tēpore vitam ducebat, & cum pluribus S. Martyris

vis domesticis coram egit.

Multò etiam minus Pictorum, & Sculptorum (qui sibi quiduis audendi potestatem arrogant) probanda imagines, qui eum nobis in sacro habitu, & apparatu, ut sacrificantem, effingunt. Quis enim credat, vixdum à somno excitatum, intruentibus iam latronibus, ea Mysteria aggressum, quæ manifestò cerneret, se non posse absoluerè: & quæ secum impiorum ludibrijs, & sacrilegijs, certò exponeret?

Fuso tot sanctorum sanguine, ad prædam vertuntur sicarij, sed præter eorum expectationem, modicam illam, & tenuem. Nam neque illud perpetuum Episcopi domicilium erat: & in ipsâ eius ordinaria Sede, Traiecti, non magnæ rei supellex erat, qui frugalitatem semper, & parsimoniam, in re familiari adamasset. Sed tamen, quidquid illud fuit, avidissime diripuerunt: neque minorem in rapacitate futuro-

An Sacrificans occiderit?

Non videri.

Præda Sicarijs medica.

156 VITA S. LAMBERTI
rem quàm antea, in eade crudeli-
tatem, ostenderunt.

CAPVT XXIII.

*Mira quadam post LAMBERTI
eadem.*

SOLVTA Sanctissima illa Anima
mortali corpore, emicans ad im-
mortales sedes, æternùm triumphat-
ura, multo cum beatorum Ange-
lorum comitatu, & ambitione, tran-
slata est.

*Angelo-
rum in
LAM-
BERTI
Excessu,
concen-
tus.*

Hoc, quod de Angelis dixi, non
modò ideo credendū, quòd ita cum
talibus fieri amat, & passim exempla
in Sanctorum excessu, obuia sunt:
sed quod constat, à pijs hominibus,
qui tum adiuuebant, auditos fuisse,
cælestem harmoniam, modulatis di-
uinum in modum, vocibus, concin-
nètes. Hoc magnū. Sed istud maius,
certè rarius, quod iam subiungo.

Beati Apostoli Sedē Romæ tum
habebat Pontifex Sergius, Sanctitate
clarissi-

clarissimus. Is, eâdem luce, & horâ,
quâ LAMBERTVS obtruncabatur,
somno fatigatos artus reficiebat.

Astat illi Angelus à DEO legatione
fungens, multo lumine coruscus, qui
eiusmodi fere sermone cum affatus
dicitur: *Diligenter verbis meis atten-*

de: & ea sedulus exequere, quæ DEI

iussu præcipio. Tungrorum Episcopus
LAMBERTVS, nefariorum hominû ma-
nibus, pro Veritatis, & Iustitiæ tute-
lâ, confossus iacet. Iam iam eius spiritus,
inter beatos Martyres receptus, celum

triumphans ingressus est. Ad eius depre-
cationem non vult DEVS, eam Ecclesiam

Pastore in longum viduatam viuere.

Tu igitur eius Discipulum Hubertum
nomine, hominem sanctum, & ad id

munus aptissimum, illi mox substitue,
quem hodie urbem sub auroram ingres-

sus intelliges, & conspectum statim

agnosces. Vt porro scias, me vera, & ex

DEI mente nuntiare, baculum Pasto-

ralsm eiusdem Martyris en tibi offero,

quem Huberto, eius Successori, signum

Diui-

Sergio

P. M. eum

Exces-

sum, &

alia nra-

riat An-

gelus,

Divinae electionis: tradere te iubeo.

Recessit, his dictis Angelus, & Sergius somno solutus, de insomnio sollicitus cogitat. Ecce autem Pedum aspicit in conspectu positum, & vera se vidisse cognoscit. Neque diu de Huberto quærendum fuit, qui paucis ante Magisti Martyrium diebus ex Austrasiâ Romam pietatis causâ profectus, eo ipso manè Urbem ingressus est, & mox agnitus, Tungrensi Ecclesiæ à Summo Pontifice, Episcopus inauguratus.

Magna & memoratu dignissima, eâque plurima sunt, quæ in eâ inauguratione contigerunt: sed non est consilium ea hîc enarrare, quod non sint ad propositum argumentum. Ampliter ea execus sum in Historiâ S. Huberti, quæ inde petet, cui lubebit.

CA-

CAPVT XXIII.

S. Martyris LAMBERTI Exequiæ.

IACEBAT interea S. Martyris exa-
nime corpus, quo ceciderat, loco;
neque fere erat, qui de Sepulturâ
cogitaret, metu sacrilegi Dodonis.
Collecti tandem è domesticis ali-
quot, qui vel immani illi Tragœdiæ
non affuerant, vel fugâ per auia
euaserant, ad extremum officium
beati exuijs persoluendum, timidi
licet, conueniunt. Reperiunt Mar-
tyrem in sacro suo cruore tabefa-
ctum: quod multum venerabundi
dissuauiantur, & lacrymis fere ab-
luunt. Tanta earum copia fuit. Tum
tenui veste inuoluunt, quæ prima
occurrit, & in nauiculam imponunt,
vt secundo Mosâ Traiectum deue-
hant, ibique terræ mandent.

Vbi primum à vicinis, & mox à
remotioribus auditû, LAMBERTVM
interfectum, corpusque deportari:
comple-

*Corpus
Marty-
ris Tra-
iectum
auehi-
tur.*

*Homi-
num cõ-
kursus,
& oc-
kursus.*

complentur vtraque fluminis ripae: mōtes quoque proximi, & quā longissimè prospectus erat, turbis lugentium, & inter se rogitantiū, quis, quā causā, tantum nefas ausus esset? cecidissentne cum Episcopo plures, & quinam? num euasissent Sicarij, & quo? consciusne horum fuisset Pipinus, an & mandasset? quamquam hoc postremum, cum metu, & musitando per aures iret.

Probra in Dodonem, & Alpaidem. In Dodonem, & Alpaidem palam iactabatur execrationes; memorabatur eorum libido, superbia, furor, animus sanguinis sitiens, & in optimi cuiusque perniciem, & exitium imminens. Mirum non esse, si improbi probos odissent: si luxu, & libidine corrupti, sobrios, & continentēs, è medio sublatos vellent: quorum videlicet innocētia, eorum scelera damnarentur.

Ferebatur interea prono fluminis alueo vilis nauis, pretiosum thesaurum vehens obsecundantibus vndis: diceres,

diceret. Mosam sentire, quod portabat. Vbi Traiecto propiores facti, multitudo ingens obviam procedit, lugentium simul, & stementium. Eadem fere memorabant, quæ paulò prius qui littora obtinebant. In Alpaidem, & Dodonem, tanto iactabant deteriora, quanto illos nô- rant accuratius; quantoque eorum improbitatem propius experti erant. Qui moderatiore, defuncti virtutes, percussorû facinoribus omissis, in cælum, secundis admurmurationibus, certatim ferebant. Viduæ, pupilli, egeni, afflicti, præ reliquis audiebantur, aëra questibus complentes. Neque vana proferebât. Quem in posterum, cibos, potum, vestes præbiturum? quem orbis patrem futurum? à quo solatium miseris, & relictis expectandû? An rediturum Pharamûdum quempiam, qui Gregem, quem pascere deberet, ultro degluberet? an qui sanguinẽ eorum hauriret, pro quibus sanguinem ipse

*Defuncti
Et virtutes
memorantur*

L fundea

fundere deberet? Spes omnes interceptas, neque alios esse LAMBERTOS, postquam vnicus iste, impiorum manibus sublatus esset. Hæc palam, liberrimis vocibus iactabantur.

*A Clero
ut excipitur.*

Interim, qui è Clero, obuij sacram Pompam ducunt mœsti, atrati, & pro solemni cantu, tristem lessum, gemitibus interruptum, edentes. Cruces de more, sed indécoces, & sine ornatu, præferebantur. Ne ordo quidem satis seruabatur, plerisque disiectis, &, vt cuique libitum, intercurrentibus.

Multi publico abstinuere; siue victus lactu animus, mali acerbitatem, visu ferre non tolerabat: siue Principis iram veriti, pellice incendente.

Cætetum ipse Pipinus non apparuit, quòd maiestate suâ inferius iudicabat, palam lamentari. Nam crediderim, acri doloris sensu percussum, dum recordaretur, vt olim illo

Rex

Rex Oniz, defuncti sobrietatem,
& modestiam. Traiectenses tamen
publici funeris honores exhibere
non ausi, consilio habito, optimum
factu in præsens iudicarunt, vt silen-
tio ad suburbium corpus deferretur,
vbi in S. Petri Ecclesiâ, atque in sar-
cophago lapideo conditum est in
quem Aprî, parentis eius ossa antea
illata fuerant. Dies ille, modò per si-
lentium vastus fuit; modo plorati-
bus inquis, & turbulentus: tenuitq;
acerbissimus luctus plures vel heb-
domades, vel menses.

*In Apr
Parentis
tumulo
conditur.*

CAPVT XXV.

*Admiranda in LAMBERTI Exequijs,
& mox post eas.*

QVANTO ignobilius Martyris
LAMBERTI funus fuit per
hominum timorem; tanto illud
DEVS maiore honore honestatum
voluit, suâ dignatione, Angelorum-
que suorum obsequio.

L 2

Princi-

*Angelus
S. Epif-
copi Cor-
pus ad-
uentare
indicat.*

Principio, nauiculâ corporis eius
baiulâ Traiectensis vrbis muris pro-
pinquante, Angelus sese in turri Ec-
clesiæ Bearæ Virginis-Matris, omni-
bus conspicuum, multo lumine col-
lucens, ostendit, obuerso ad Sanctas
Reliquias vultu, digitoque in eas in-
tento, tamquam clarè monens, ob-
uiam eundum, & honorem Martyri
exhibendum. Hoc fateor, me apud
nullum eorum Authorum legisse,
qui eius Vitam scriptis posteritati
tradiderunt: sed ita constanter à Tra-
iectensibus traditur, vt nefas mihi
videatur, fidem non adhibere: maxi-
mè cum & eius Ecclesiæ codices
manu-scripti, id prodigium memo-
rent: & illustre monumentum in
eâdem illâ turri, ex eo tempore ex-
tet, Angeli imago digitorum eodè
extendentis.

Illud ad posteritatis memoriam
omnino illustre. Cum certatim ad
sacrum illud corpus exosculandum
concurrerent, non minus mulieres,
quàm

quàm viri: facilem se Martyr omnibus exhibebat, eorum votis & pietati pronus obsecundans. Quod si in eâ turbâ, pellex, vt fit, alijs se immiscuisset, & impura labia contingendo sacro corpori, temerariâ impudetiâ pararet: statim sentiebat, diuinâ quâdam vi se repellî, quæ facilius sentiretur, quam intelligeretur. Turbine rotari se putabat. Auerfabatur videlicet pius Pastor oues, non iam oues, sed lupos factas, aut potius lupas, & quæ lupum præ Pastore elegissent; ne tam scabie, quam leprâ corruptas. Alpaïdem recordari videbatur castissimus opilio olidissimam lupam: quæ lupis iuncta, in Pastoris perniciem conspirasset, non antè exfatiata, quàm lupoꝝ eum dentibus vidisset discerptum. Velim hîc Lectorem mecum obseruare obseruatione rem dignissimam; LAMBERTVM, vt adhuc vitam hanc mortalem viuentem, mitissimû, & irasci nescium: postquam immortalitati

L 3

trans-

*Pellices
à S. Corpore di-
uina vi
arcetur.*

LAMB.

*viuent.**Agnus.*

*Mer-
itus,
Leo.*

transcriptus est, in vindictam de
noxijs sumendam, DEI vtique nu-
tu, ita pronum factum, vt non raro
supplicijs eos maximis mactauerit.
Exempla in ijs quæ deinceps refe-
ram, erit facile obseruare. Itaque
rectè mihi videatur, vero elogio di-
ci posse, LAMBERTVS VLTOR.

*Odorea-
lestis ex
Episcopi
Sepul-
cro.*

Dum parentis Apri tumulo con-
deretur Martyr noster: vt ostende-
ret. DEVS, magnum Apostolum
æmulatum, *Christi bonum odorem suis,*
se in omni loco: ignobilem istum lo-
cum tantâ cælestis odoris suauitate
repleuit; vt vnde foetor, & horrida
tabes existere solet, in eo humanis
naribus inusitata, & ignota fragran-
tia sentiretur.

*Angeli
ad tu-
mulum
venent.*

Necdum Angelicum ministe-
rium finem habet. Angeli sanctissi-
mam animam, cælos petentem co-
mitati erant; Angelus corporis ad-
uentum indicauerat; Angelus odo-
rem illum, vltra omne opus pi-
gmentarij, excitauerat; restabat, vt

Musica

Musica quoque non anima tantum, sed & corpus honestaretur: sed Musica Angelica. Audita illa est ad eius tumultum longo tempore, idque noctu, atque interdiu, quoties intra ædem nullus alioqui hominem strepitus; nulla vox audiebatur. Tum enim Beatorum Spirituum harmonia resonabat, quam nullo humano ore constaret edi posse: nisi quod manifestè ipsius Martyris vox in eâ agnoscebatur, simul concinentis. Accedebat aliud prodigium, Quod si quis curiosus intra Templum se penetrabat, aut ad illud propius autem admouebat, nihil percipiebat. At ubi paululum recesserat, tum verò eâdem aurium voluptate iterum, & manifestius, fruebatur.

Quis huius rei, & diuersitatis causam explicet? tota ab eo pendebat, qui sic decreuerat gloriosum Testem suum honorare, & mortales admonere, ne eas caelestes

voluptates pro arbitrio gustare se posse existimarent, sed sciret, in eiusmodi abditis mysterijs, maiorem esse ex longinquo reuerentiam.

Postremum, quod hoc loco iudicamus non omittendum, illud est, Cū viduatus illo suo Pastore Grex, in LAMBERTI funere, illam, quam supra descripsimus, doloris agoniam ægrè sustineret: affuit iterum Angelus, cuius ista vox in proximo aëre clarè audita est: Ponite dolori modum, ô Traiectenses, neque vos profus desertos arbitramini.

LAM-
BERTI
Successorem
HUBERTUM
Angelus
pronuntiavit.

Providentia Numinis alium iam vobis Antistitem paravit. Hubertus, hâc ipsâ horâ, à Sergio summo Pontifice, Romæ Trugrensis Episcopus consecratur: aderitque propediem vobis, dignus LAMBERTO Discipulus, & Successor.

CA-

CAPVT XXVL

Locus cædis S. LAMBERTI,
prodigijs nobilitatur.

REGREDIAMVR iam Traiecto
 Legiam, & videamus, an locus
 Martyrij Sancti nostri in glorius mā-
 serit. Planè non mansit. Pauca de
 eius gloriâ, paucis, attingamus.

In conclau, in quo obtruncatus *Diuinũ*
 est, lumina sæpe diuinitus accensa *lumen in*
 conspiciebantur, eâ claritate, vt gra- *Cõclau,*
 tiores viderentur ire dies, & soles *in quo*
 melius nitere, neque facile humani *casus*
 oculi acies irretorta, eam ferret. An *LAMB.*
 aberrabit, qui dixerit, radiũ aliquẽ
 fuisse illius lucis, quã Sanctus Ponti-
 fex in cælis perenniter circumfus-
 ditur?

Quid igitur miremur, si hoc lu- *Ceci ad*
 men etiam à Cæcis aspiciebatur? sa- *spellu*
 nè duo cæci, Baldigifilus, & Ragin- *donatiz*
 fridus, ille excubare eo, quo Martyr
 occubuerat, loco: hic, eundem lo-

L 5 cum

cum expurgare iussus optatâ protinus luce potiti sunt.

*Itemq;
caca.*

Aliquanto post, virgo quædam, Oda nomine, è proximâ viciniâ, ab ipso sui ortus tempore, nunquam solis lumine perfruita, LAMBERTI patrociniûm, pio precum ambitu præfans ipsa quoque voti compos facta, stupentibus oculis vidit.

Subinde res in speciem parua, magnam à Sancto ultionem extorsit. Theoduinus quidâ erat, cuius vxor, S. Martyris pectinem, à grassantibus homicidis fortuitò relictum, & neglectum iacentem, vel auiditate muliebri, vel forsitan pietate inconfultâ, sibi abstulerat. Monet Martyr nocturno visu Theduinum, primû blâdè; tum adiectis minis, ablatû pectinem restitui curaret, Fœmina viri somnium pro vano habens, nec reddebat, & sacro pectine, prophana, ut antè, utebatur. Non tulit impudentiam LAMBERTVS Vindex. Soporato iterû Theoduiño, velut è nauî egrediens

diens, quâ Traiectum auectus fuerat, apparet, & baculo, quem manu præferebat; eius pectus validè percutiès, insanabili vulnere afficit: è quo non antè defijt sanguine mixtū pus manare, quàm, quod repetebatur, tandem restitueret.

*Mulier-
cula
propha-
nam te-
merita-
tē Marti-
ryr vl-
ciscitur.*

Hæc aliaque cōplura eius generis effecere, vt locus ille, tanti Martyris sacro cruore aspersus, ab vndis cōcurrentium populorū, infatigabili studio viseretur, colereturque. Crescēte deinceps Religione, sacrâ Aedem ibidem moliti sunt, splendidam illam quidem, & amplam: sed quæ cōcurrentibus capiēdis nequaquā sufficeret. Tanta multitudo erat. Porro in eam Aedem, tū alia intulerūt S. Martyris monumētum eius lectulum, quo potuerūt ornatu honestatum, Quibus rebus efficiebatur, vt tamquā præsentem ibi eum colerent quotquot pietatis causâ, illam Aedem, & quæ diximus monumenta frequen-
tabant: prodigijs, & miraculis in dies augmentum capientibus.

*Populo-
rū con-
cursus:*

*Excita-
ta Aedes,*

*Lectulum
in hono-
re.*

CAPVT XXVII.

DEI & S. Martyris LAMBERTI
de sacrilego Dodone, ceterisque
Sicarijs Vindicta.

VIDIMVS haectenus, quibus suū
Martyrem honoribus DEVS
tum affecerit ipse; tum ab homini-
bus cuiusque generis, affici voluerit.
Videamus iam, quo dedecore, & qui-
bus supplicijs percussores eius affe-
cerit.

Dodonem primo loco proponere placet, omnis malitiae principem, & omnium facinorosorum antesignanum. Viderat ille, quod adeo optabat LAMBERTI, & tot aliorum, à se, vel patratam, vel iussam necem. At vicissim LAMBERTVS, cum iam longè abesset ab omni vitioso affectu, & aberrandi periculo; cum inter eos esset, qui *Faciunt vindictam in nationibus, increpationes in populis*: (nam gloria hac omnibus Sanctis eius) vidit
Dodonis

Dodonis finem planè tragicum, ut
ecce narramus.

Vix abierat annus à Martyris cæ-
de, cū plagâ diuinitus immisâ hor-
rendo exitio interiit, LAMBERTO
utique ultionem expetente. Quod
ne me in vanum iactare censeas;
testem affero, quem nemo iure reij-
ciat. Amalgisilus quidam erat, in
LAMBERTI adhuc viuentis tribunali
Iudicis officio functus. Huic LAM-
BERTVS noctu apparet, aitque, se
Româ redire, & iam cogitare, DEO
ita iubente, de Dodone, socijsque si-
carijs, vindictam sumere, quam in-
nocentum sanguis, cum suo effusus,
à DEO, iusto Iudice, magno clamo-
re exposceret.

Vanum non fuisse visum, secutus
propere ostendit eventus. Siquidem
miserabilis Dodo aliquanto post,
viscera omnia, foeda putredine cor-
rupta, inaudito exemplo, cum excre-
mentis, per turpissimi oris sui cauer-
nam egressit. Ad hoc, vermium vis
corpus

LAMB.
Dodonis
exitium
indicato.

quod
mox se-
cutum.

corpus eius totum sic occupauit, adhuc uiuentis, sic depasta est; facile ut appareret, eorum esse prænuntios, qui apud inferos animam simul cum corpore, æternum voraturi, nunquam consumituri sunt.

Ad extremum, fœtor tam immanis fuit, ut, cum illam, nec uiuum, quisquam ferre posset, nec post exhalatam infelicem animam corpus de more, terræ mandare: in Mosæ vndas, meliore consilio non occurrente, præcipitatum sit. Hic pessimi sacrilegi exitus clarè ostendit, quod similibus fere supplicijs consumtus Anthiochus Tyrânus in Machabæis extremo veriuerbio effatus est: *Iustus esse, hominem non paria DEO sentire.*

Iam nefarij ducis nihilo meliores satellites, pessimis & ipsi exemplis excruciat, intra anni circulū, omnes fere periêre. Et quidem qui tectum domicilij LAMBERTI conscendere ausus fuerat, & ex ipso, sacrosanctum pectus, & cor trāsuerberauerat; non
dus

*Secuti
Ducem
Satelli-
tes.*

diu tantum nefas impunè tulit. Eodem enim die, ad prædam versus, ortâ rixâ, vt fit, cum fratre suo germano, infestis armis congreditur; quo in iurgio fratrem confodit, ab ipso vicissim confossus. Sic sanguinî LAMBERTI, sanguinem ipse & fratris, & suum, properâ Numinis vindictâ, refudit. Hoc prius narrare poteram. Sed opportunius visum, hunc in locum reiicere.

E reliquâ impiâ turbâ, alij alio tempore; sed omnes intra annum, vt dixi, mutuis similiter vulneribus ceciderunt. Nonnulli à nefarijs spiritibus arrepti, & dirè vexati, infelices animas vlulantes proiecerunt. Pauci ex omni numero euasisse visi: sed eiusmodi vitam trahentes, vt quoduis exitium præoptarent.

Neque verò ipsi Principi Pipino impune fuit, sacrilegum facinus, vel non impedisse (iussisse non putamus) vel non vindicasse. Post
 Sacrarum Martyris Reliquiarum
 Transla-

Translationē (de quâ mox dicemus) cum ipse Pipinus è morbo languens decumberet: Grimoaldus eius filius, natu maior, quem ex Plectrude, legitimâ coniuge susceperat, & qui tum Maiorem-Domus apud Childebertum, Franciæ Regem, agebat, in Austrasiam venit, vitendi Parentis causâ. Is LAMBERTVM in amoribus semper habuerat, & vt Sanctum coluerat: sed tum maximè, cum eum fatagere vidisset pro Plectrudis matris eius matrimonio. Ergo, indignâ eius morte auditâ, graui doloris ictu saucius, & maiore, quàm vnquam, erga defunctû veneratione, animo affectus, Legiam se contulit, gratias acturus in loco, vbi pro tam iustâ causa occubuerat.

Hic dum precibus, & supplicijs intentius totum se impendit: satelles quidam Rabbodonis Frisionû Ducis, incertum quâ causâ, inopinatò eum aggressus, ante ipsam Aram Martyris obtruncat. Neque impio homini

*Pipinus
fily san-
guine
laur.*

homini curæ fuit, eiusdem Rabbo-
donis gnatham, Grimoaldo fuisse des-
ponsatam, & in proximo fuisse, ut
cum ea nuptijs copularetur. Feli-
cem in hac infelicitate dixerim Gri-
moaldum, qui eodem, quo LAM-
BERTVS, loco, animam posuerit,
& in eius obsequio. Neque dubitan-
dum mihi videtur, quin tam piam
animam, ipse Sanctus Martyr, in
Beatorū sedibus, penes se locauerit.

Sed Pipinus interim non potuit
non vehementer percelli, dum pœ-
nas à suo sanguine repeti videt, &
LAMBERTI necis, & suæ libidinis, ac
foedæ incontinentiæ. Cæterum, ut
appareret, quàm non placuisset Deo
Grimoaldi cædes; Dux Rabbodo,
cuius ea iussu patrata erat, in paucis
diebus, quàm hæc contigerant, à
Cacodæmone ludificatus periit.

M CAP.

CAPVT XXVIII.

De Alpaïdis morte non liquere.

SUPPLICIA de Dodone, sociisque sumpta à Martyre, cuiusmodi narrauimus, vix est, vt in ijs, qui ea legunt, desiderium non acuant cognoscendi, quæ tandem poenæ expetitz sint de Alpaïde, cuius scelere dubium esse non potest, & Dodonem fratrem, & reliquos ad tantum facinus deuenisse.

Sed non perinde facile fuerit, id exequi: quippe cum Scriptores diuersa tradant. Et quidem quinque, aut sex illi, qui LAMBERTI vitam nobis reliquerunt, de pellice istâ planè silent, quod quidem ad eius supplicium, aut mortem pertinet. Neque me vsquam de eo argumento legisse quidquam memini, nisi in chartis Adolphi Happart, Andainensis Religiosi in Arduennâ, vt in S. Huberto meo memorauit. Is ait, à Plaudo, Comite

Comite Osternensi, fratre S. LAMBERTI, ex Orpensi Virginum Monasterio, educatam Alpaïdem, igni exustam. Ego qui aliud nusquam repereram, ita edidi, ex Authore, cuius fides, & diligentia, mihi in alijs probata videbatur.

Sed aliquot post annis, allata mihi Epistola est, à D. Willibrordo Boscaerts, Religioso Coenobij Tongerloënsis in Brabantia, Instituti Præmonstratensis, homine humanissimo, & eruditissimo: qui longè alia tradit de Alpaïde.

Ait, Orpensis Ecclesie Traditionibus, & Historijs, perhiberi, Alpaïdem usque ad finem vitæ ibi pœnitentiam perregisse, & felici fine quiescisse.

Plurimum sanè me sibi obstrinxit eo indicio D. Boscaerts, eiusque nomine meritò illi egi gratias: quas & iteratò ago hoc publico scripto. Porro, cum à me quærat, *Putemne, ea testimonia, Happarti testimonio postponenda?* iterum respondeo, me rem

*Res in
dubio
manet.*

in medio relinquere. Nam neque
ita de me, & historia mea meritis est
Happart, ut fidem illi temere abro-
gandam putem: neque æquum est,
eius loci, in quo vixisse Alpaïdem
extremis temporibus constet, histo-
riz, voce, & scriptis traditæ, non as-
sentiri. Cum tamen accedere vtrif-
que nequeam, ut qui diuersa me-
morent; rem, ut dixi, in medio relin-
quo.

CAPVT XXIX.

*Pipini dubia Pœnitentia:
aut inconstans.*

*Pipinus
an pœni-
tuert?*

NON omittamus Pipinum, cuius
infelix adulterium, & LAM-
BERTO mortem attulit: & alijs exitij
variè causa fuit. Passusne ipse eo no-
mine est aliquid? & An à flagitio
abstinuit, an pœnituit? an pellicem
eiecit? an vxorem reuocauit?

Rursus hîc honoris ergô mihi
nominandus *D. Boscaerts*, qui eâdem
Epistolâ

Epistolâ, paulò prius laudatâ, merito dubitat, rectene in Huberto scripserim, ex Happarto, Pipinum, ab Huberto Episcopo, Româ reduce, grauius increpitum, ac monitum, ut Plectrudem reuocaret, Alpaidem eijceret: agnitâ culpâ, paruiffe: & ut pro scandalo, quod dederat, quadamtenus faceret satis, Ecclesiam vicino loco (*Orpen* uocabulum erat) ædificasse: & Deiparæ Virginis honori, Sanctique Martini, dedicari curasse.

*Videri,
ex Hap-
parto:*

Aduersum hæc, validè (non dicam dolo) disputat *Boscaerts* meus. Ac primum Happarto Authorem opponit, haud paulò grauiorem, & meliorem; S. Marcellinum in vita S. Suiberti, qui eo ipso tempore uiebat, quo ista, quæcumque erant, agebantur. S. igitur Marcellinus, tradit, longo post S. Huberti reditum, tempore, Pipinum cum Alpaidem de Iupiliæ; Plectrudem Coloniz, diuersos habitasse. Quinetiam id

*Non vi-
diri, ex
S. Mar-
cellino.*

temporis, S. Suibertum, & Agilolphum, à Plectrude Coloniâ, ad Pipinum, extremè ægrotantem Iupiliam missos, ab Alpaide fuisse fugatos. Ex quo loco Baronius, Annalium Ecclesię Princeps, rectè se colligere arbitratur, miserum Pipinum, ad obitum vsque, cum pellice perseuerasse.

Hęc sanè (iterum dico, & profiteor) valida, & fere violenta, videntur contra Happartum, asferta, Sed tamen hunc meum Authorem, quoad licebit, tuebor. Maneat igitur S. Marcellino, & veritati suus honos: sed non ideo censeatur Happartus, vel illi, vel isti pugnâsse: Conciliemus, in speciem pugnantes, si id fieri potest.

*Conatus
conci-
liandi.*

Nemo inñitias ierit, qui humanã inconstantiam nôrit, per sæpe contingere, vt quis DEO, & Conscientiã urgente, dum scelera sua perpendit, ab ijs abstineat, & vitæ meliori se reddat: atque idem postea, stimu-
lante

lante libibine, ad ingenium, & flagitia pristina redeat, & in eodem luto hæreat. Nota est Principis Apostoli sententia, de cane reuertente ad vomitum, & sue lotâ ad volutabrum luti. Quid si igitur idem fecit Pipinus, & eâ ratione, & S. Marcelini, & Happarti narratio, vtraque vera est, tempore dumtaxat variante? Sanè non video, cur vel Happartum, vel commentaria, quibus vsus est, mendacij arguamus, cum sine oppositæ sententiæ iniuriâ, facili veritate constare possint.

Postremo mihi obijcit cruditissimus *Boscaerts*, veram non videri Happarti historiam de extractâ à Pipino, in Orpen Ecclesiâ, & Monasterio. *Est enim hoc*, inquit, *contra Historias Ecclesiæ Orpensis, quæ habent, ibi Ecclesiâ Monasteriumque excitata, tempore Childerici Regis Francorum, defuncti anno sexcentesimo, sexagesimo*

De Ecclesiâ Orpensi.

Septimo: ac paulò post, circa annum septingentesimum, Adiliam Abbatissam factam, illud ipsum Monasterium, ex Monte, in quo situm erat, infra Montem, in eodem pago, commodioris habitationis ergò, transtulisse, Ecclesiamque S. Martino dedicasse. Et addit: Idem continet antiquus liber vite S. Adiliae, qui in eadem Ecclesiâ servatur.

Multum te amo, mi Boscaerts de diligentia istâ tuâ: velim tu quoque meam ingenuitatem: quâ neque malignè tuâ obiecta dissimulanda iudicauis; neque meam, aut Happarti opinionem perniciousiter tuendam: quorum neutrum liberalis ingenij esse puto. Permite tamen, pro tuâ humanitate, ad hæc tibi respondeam bifariam. Primum, vt antè de Alpaide, exustâ, aut non exustâ dixi: hîc quoque dixerim, ambigi posse, Orpianæ Chartæ fideliores sint, an Happarti: tum, fieri potuisse, vt quemadmodum Adilia, iuxta tuas Historias, Partenonem illum rectè dicatur

dicatur

dicatur ædificasse, quia transtulit; ita *De hęc*
 non malè Pipinus eiusdem extru- *quoque*
 ctor dicatur, quia fortassis, vel Ec. *non li-*
 clesiam, vel domum, splendidiore *quere,*
 opere ornauit: aut, quod de Princi-
 pe procliuè est credere, magnificen-
 tius dotauit. Sed in re dubiâ, vincat
 Veritas, quæ vtique certa est, etsi no-
 bis dubia, aut ignota.

CAPVT XXX.

Corporis S. LAMBERTI Translatio.

OBSERVATVM sæpe est, Sanctos,
 qui animo cū Christo regnant,
 corporis sui rationē haberi voluisse
 à Mortalibus. Hinc frequentes, co-
 rum admonitu, ossium, quas voca-
 mus *Elevationes & Trāslationes*. Eam
 curam historiæ obseruarunt, etiam
 in LAMBERTO nostro.

Ostendit ipse se in quiete multis
 pijs hominibus; ijs maximè, qui Sa-
 cerdotalis ordinis essent: quibus si-
 gnificauit

*Corpus
suum
transferri
LAMB.
iubet.
Pluribus
eo nomi-
ne se o-
stendit:*

gnificavit, velle Exuvias suas eò re-
 uehi, vnde auectæ fuerant, id est,
 Leodium. Episcopus Tungrensis
 tum erat S. Hubertus, annum iam
 decimum tertium. Qui vbi oracula
 intellexit, diligenter omnia sciscita-
 tus, & accurato rei totius examine
 adhibito, Cleri conuentum cogit:
 quibus cum transferri placuisset, ad
 tanti momenti opus omnia apparan-
 tur. Sed cum etiam de Sede Episco-
 pali Tungris Leodium transferen-
 dâ, agi visum esset, vicinorum quo-
 que Episcoporum Conciliû de mo-
 re congregavit Hubertus: quo tan-
 to maiore authoritate niteretur. De
 quo Concilio, quoniam in Huberti
 Historiâ, satis accuratè, prout res tu-
 lit, egisse videor, nihil hîc addam.
*maximè
S. HV-
BERTO.* Hoc vnum non silendum, non alijs
 tantum sed & S. Huberto visum eius
 Magistrum LAMBERTVM, & eadem,
 quæ diximus, Discipulo præcepisse.
 Vbi ad sacram Arcam ventum,
 summo omnium stupore, corpus
 offen-

offendunt integrum, solidum, succi
 plenum. Somno potius, quàm mor-
 te, sopitum diceres. Accedebat odor,
 & fragrantia eiusmodi, quæ DEVM
 Authorem facile proderet. Neque
 quisquam attingere fuisset ausus, nisi
 ipse Sanctus tam manifestè iuffi-
 ser.

*Corpus
 LAMB.
 integrū,
 & fra-
 grans.*

Igitur vestes, cum quibus tumu-
 latus, detrahuntur, tum vt cultiores
 substituerentur; tum vt ad venera-
 tionem priores seruarentur: quæ
 statim inclusæ, & claustris, sigillis-
 que additis, contra curiosas aut ra-
 paces manus, protectæ sunt.

*Vestes
 detrahæ
 asserva-
 tæ.*

Tum Pompa duci cepta. Sed
 Traiectensium luctus, & planctus,
 populo vniuerso, totâque viciniâ
 concurrente, tantus exortus est,
 tam misera comploratio, vt vlti-
 mus dies omnibus exortus videre-
 tur.

*Traie-
 ctensium
 in eue-
 ctione,
 luctus.*

Confusæ voces audiebantur, qui-
 ritantium, vitam, animam, salutē sibi
 eripi, Neque permisissent tantum à
 se

*uocē
 eripi*

se tolli præsidium, nisi satis consti-
tisset, diuinum id iussisse decretum.
Ergo, vbi aliud nihil restare vident:
iungunt ipsi quoque se sacræ pom-
pæ, vt sic saltem, quam diu liceret,
cum illo essent, qui diutius cum illis
esse nollet.

Ibat agmen quàm decentissimo
ordine, sacra Pignora, Sacerdotum
humeris, ferens; gestientibus singu-
lis succollare, & fatigatis succedere:
etsi nemo tam sanctâ sarcinâ, tam
dulci labore, fatigari se fateretur.

*Angeli
concinē-
tes pom-
pam co-
mitan-
tur.*

Hymni, & carmina totis agris reso-
nabant, quibus Angelorum iterum
voces misceri auditæ: quæ tandem
lugentium Traiectensium planctus,
vel sustulerunt, vel in præsens com-
pescuerunt. Proceditur hoc trium-
phali apparatu, ad villam vsque, cui
Niuella nomen. Pagus hodie est,
eodem vocabulo inter Leodium,
& Traiectum notissimus. Cæcus hîc
quidam ferculum sacri Corporis at-
tingere vt liceat, petit: obtinet, &

*Cæcus
videt.*

proxi-

ptotinus videt, ac lætus comitatum
 auget. Ultra paulum progressi, aliã
 villam, Hermaliam dictam, attin-
 gunt. Ibi contractus, membrorum
 luorum impotens, non tactu, sed so-
 lo eiusdem ferculi aspectu, solidatis
 compagibus, ac firmatis, visus est,
 non modo ambulare, sed & subsili-
 re, & currere. Vtroque hoc loco,
 Martyris honori Ecclesiæ in ipso
 vestigio votæ, & designatæ, postea
 ædificatæ sunt. Sed sanctum porro
 prosequamur.

*Contractus, re-
 ctus am-
 bulat.*

*Templa
 designa-
 ta, exci-
 tata.*

Leodij cum nuntiatum esset, pro-
 pinquare desiderata Pignora; effun-
 di ilico populus vniuersus: non ætas
 vlla deesse, non sexus. Omnes gra-
 tulabundi acclamare, redire tandem,
 quẽ tam inuiti à se amiserint; quem
 tot votis, tot desiderijs exoptauerint:
 iam seculum aureum sperare licere,
 cum auro omni pretiosiores LAM-
 BERTI Exuuiæ reducantur. Intẽ
 has gratulationes, in conspectum se
 dat inter linteatorum manus, fere-
 trum:

*Leodie-
 ses oc-
 currunt.*

*gratu-
 lantur.*

adorāt. trum: procidunt omnes, & de geniculis adorant. Tum assurgentes, orant, obsecrant, liceat suam quoque vicem humeros supponere: sed non obtinent: Traiectensibus ita dictitantibus, prope esse, vt Leodienses perpetuò possideant; ipsi perpetuò spoliati viuant: finerent, dum res ferret, tantisper postremo hoc officio defungi.

Condu-
unt ho-
norificè
S. Reli-
quia. Pia contentione sedatâ, iuncti hi atque illi, hymnos quoque & laudes iungunt, & Legiam tandem appellant. Ibi, decentissimo, quoad licitum est, loco. S. Martyris Corpus condunt.

Populus
Religio-
sior eva-
dit. Traiectenses mœsti domum repetunt: Leodienses, multis precibus, supplicijs, nocturnis vigilijs, festo incolarum, atque accolarum concursu, locum frequentant, Reliquias colunt, Numen venerantur, perpetuum ipsis hoc faxit, & proprium gaudium. Populus, ante liberior, & solutior, vrbanius in dies euadit,

euadit, & religiosus magis. Iuuan- *Iuuantur*
 tur magis, magisque, & ad meliora *Prodi-*
 sectanda stimulantur prodigijs, & *gys.*
 miraculis, quæ Godeschalcus ple-
 raque se vidisse testatur. Subinde, *Regia*
 liberalitate per pietatem excitatâ, *Basilica*
 splendida Basilica, opere Regio *erigitur.*
 erecta, Diuæ Virgini Deiparæ, & S.
 Martyri LAMBERTO dicata, & potif-
 simum honori, & gloriæ DEI omni-
 potentis, omnis Sanctitatis fonti, &
 Martyrum fortitudini: Cui vbique
 sit & maneat in æterna secula secu-
 lorum Amen.

CAPVT XXXI.

S. Martyris LAMBERTI
Miracula.

MIRACVLA nostri Martyris,
 sicut silenda, saltem præcipua,
 non putavi: ita multis singula expo-
 nere non decreui. Neq; enim minus,
 DEI gloria, & Sancti potentia, pau-
 cis verbis, quam multis, ostenditur:
 & gra-

& gratius esse debet Lectori, eadem breuiter potius, quam longo Sermonis ductu, intelligere. Conferam autem omnia in hoc caput, quæ antiquitus prodita sunt quocumque illa loco contigerint, aut tempore. Ordinem anxie non seruatum, excuset argumenti similitudo. Sed ad rem.

LAM-
BERTI
*Mira-
cula,*

*In Insu-
la Bau-
gariâ.*

In Insulâ Baugariâ, & pago Wertzeburgensi, quibus locis, in illo Monasterium; in hoc, Ecclesia S. LAMBETI honori dicata uisitur, confluētibus, natali potissimus Martyris die, populis, tâta Miraculorum vis editur, ut satis habuerint Authores, uerbo generatim indicare: ne si singulatim referre aggredierentur, tota volumina multitudine cogēte, conscribenda essent.

Normani, ferum hominum genus, & barbarum, ducibus Godefrido, Rollone, & Sigefrido, mare traicientes, cum Rheni confinia, & Mosellæ, cædibus, libidine, latrocinij

einijs vexassent, & vastassent, Mo-
 sam quoque trajicientes, tum Leo-
 dio vicina, tum ipsum etiam Leo-
 dium, eodem furore invadentes, no-
 stri Martyris nobilem Basilicam in-
 cendio concremarunt. Episcopatum
 tum administrabat Franco, comme-
 morabili vir pietate, è Lobienſi Mo-
 nasterio ad id munus euocatus. Sed
 impij illi, cum ad Martyris sarcopha-
 gum diripiendum se accingerent,
 multo auro, argento, gemmisque
 refulgentem, timore diuinitus im-
 misso perculsi, ne contingere qui-
 dem potuerunt. Vnde vim Sancti
 videas, quâ etiam factum, vt, cum
 incredibili auaritiæ, & rapicitatis fi-
 ti torquerentur, innoxij sua nauigia
 repeterent, & Leodiensem Eccle-
 siam, ditionemque relinquerent.
 Hoc utique magnum, sed quodam-
 modo momentaneam fuit. Quod
 sequitur, & maius est, & per moram,
 quâ durauit, illustrius, & pluribus
 notum; qui & mente æstimare po-

*Ad S.
 Marty-
 ris Sa-
 cropha-
 gum.*

N tuerunt,

194 VITA S. LAMBERTI
tuerunt, & oculis conspicerere, & ma-
nu contrectare.

Templo in cineres, vt dixi, reda-
cto, Sepulchrum nudum, & aperto
cælo expositum, ventorum flatibus,
niuium, pluuia, alijsque aëris iniu-
rijs oportunum ad tempus mansit.
Sed, ô prodigium! cum illa omnia
terris frequenter incumberent, &
circumquaque, vicina, humore re-
stagnarent; cum tamen honorem
repestates sacris Ossibus habebât, vt
eorum tectû nunquam attingerent.

*Ad Lo-
uanium,* Prope nobilem ciuitatem Loua-
nium, locus est Louiniolum dictus,
tâquam paruum Louanium. Com-
plura illic contigerunt admiranda,
Martyris nostri deprecatione. Ex
ijs hæc pauca tibi describo.

*Equinus
pullus
occisus,* Equi pullus indomitus, cum ad
Ecclesiæ S. LAMBERTI murum late-
ra perulâtius affricaret; ne in iumen-
to quidem procacitatem ferens Mar-
tyr, in rabiem eum vertit, & mox
terræ afflictum occidit.

Quo

Quo minus miremur, in adoles- *Proca-*
centem ab eodem vindicatum, turpi *citatem*
incontinentiâ, verecundiæ fines *Adoles-*
egressum. Nam dum libidinis in- *cês luita*
cendio ardens iuenculam insequi-
tur, & eiusdem Ecclesiæ (in quam
illa confugerat) foribus, sacrilegas
calces illidit: in ipso vestigio, immani
doloris acerbitate torqueri pes eius
cepit: qui dolor eousque auctus est,
vt putredine corruptus, tandem euo-
luto anni circulo, solutis nervis, à ti-
biâ deciderit. O sepe animo repeten-
dum procaci iuventuti exemplum!

Aliud subinde eodem loco acci-
dit, quod nescio, acerbius sit, an ri-
diculum magis. Improbis quidam,
res alienas clanculum sublegere so-
litus, porcellum aliquando vicino
sublatum, cum socijs sui similibus,
deuorauerat. Postero die (is Domi-
nicus erat) Ecclesiâ adit, & sanctiorē
locum, Altari vicinum ingreditur.

Proclamatur publicè furtum (ita *Furtum*
tum mos obtinebat) moneturque *vomisse*
N 2 abigeus, *proditus*.

abigeus, damnum ut resarciat: ad-
ditâ nominis Dei, ac S LAMBERTI
reuerentiâ, ac terrore. Dissimulat
malus. Iubente Presbytero, popu-
lus uniuersus orationē fundit. Quâ
necdum absolutâ, foedo vomitu co-
ram omnibus, nebulo absorptam
suillam eiecit. Et ne dubitaretur, ef-
fetne ex furto illa egestio: magna
laridi frustra ex obsceno ore pro-
fluxere, quæ, nisi ultio diuina prohi-
beret, pridia vorata, iam digesta esse
oportebat.

Adolescens ibidem erat, non tam
claudus, quàm monstri in modum
contractus. Nam genibus nixus, &
scabellis utramque manum fultus,
quadrupes ferebatur, aut reptabat.
Sic tamen mancus, operam minimè
mancam, Sancto Martyri præstabat.
Nam clauibus Templi sibi cocredi-
tis, fores claudebat constitutis tem-
poribus, reserabatque: Supellecti-
lem item sacram custodiebat, & ære
campano Clerum, populumque vo-
cabat.

cabat. Hic igitur, cum aliquando
 Sacratio proximus, ianuam quan-
 dam occlusurus cum pessulo, parum
 firmus, luctaretur, ac se, ut poterat,
 furrigeret: repente nervos, haec-
 nus inertes, confirmari sic sensit, & *Contra-*
 genuum rotulas ad insolitos motus, *ctus di-*
 & gyros vigescere; ut trepidans, nec *rigitur,*
 sibi de tantâ re, etsi experiretur, cre-
 dens, conaretur tamen, quod se pos-
 se non putabat. Sed posse se tum
 denique credidit, cum se, & erectum
 vidit; & constanter stare sensit, &
 agilem incedere obstupuit.

In tanti prodigij argumentum,
 scabella illa gerula, coram Altari ap-
 penduntur, magno Martyri, magno
 Alexicaco illustre anathema.

Sileo tot alia, maxima illa qui-
 dem, sed ita frequenter factitari soli-
 ta, ut nec numerarentur, & assidui-
 tate propè vilescerent. Nam quoti-
 dianum erat, videre coecos, furdos
 audire, claudos corrigi, debiles va-
 lescere: aliaque plurima generis

N ; eiusdem.

198 VITA S. LAMBERTI
eiusdem. Vnum hoc postremum
non fileo; quo ostendit omnipotens,
& se horum mirabilium esse Autho-
rem: & quanti ea ab omnibus fieri
vellet, ac multò etiam magis Marty-
rem.

Miles quidam, Marti potius, quàm
pietati addictus, procaciter ista om-
nia irridebat: quandoque & blasphemis
incestabat. Sensit hic, quid pos-
set Martyr, sensit, quàm grauis,
quàm valida eius manus. Nam nec
opinanti, impuratum os ita distor-
tum est, vt auri proprius, quàm na-
ribus spectaretur. Agnouit miser
culpam suam publicitus, & Leodiũ
profectus, sub Martyris Sarcophago,
vniuersum triduum porrectus ia-
cuit, precum, & lacrymarum vim
profundens. Sensit vicissim eius mi-
sericordiã, cuius iram erat expertus.
Pristinæ speciei restitutus, venera-
tus deinceps est, quam contemtum
lacerare erat solitus.

Blasphemum os distortum.

*moxq;
loco re-
stitutus.*


LICE-

LICEBAT hîc abiungere, & finem
imponere huic Historiæ. Sed
quoniam initio huius scriptionis
professus sum, non ea tantum trade-
re, quæ Vitæ eius Authores memo-
riæ posteritatis commendassent:
verum alia quoque illustria, &
præclara, quibus idem S. Martyr
LAMBERTVS post excessum suum
quâ vi polleret, ostendisset: è pluri-
bus duo selegi, planè splendida, &
gloriosa, triumphalia, inquam, at-
que ad eò Triumphos meros. Vide,
Lector, & fruerè: Martyremque in
DEO, & DEVM in Martyre collauda.

VITÆ S. LAMBERTI FINIS.

N 4

S. LAM-



S. LAMBERTI MARTYRIS
TRIUMPHVS BVLLOVICVS.

NIHI frequentius in Christianorum Regum, ac Principum Historiâ quam Ecclesias ab illis, & Basilicas extructas, traditaque ijs opulenta prædia, agros, ac Prouincias totas: idque, vt ipsi æternum victuris Chartis loquuntur, *Pro refrigerio animarum suarum*. Hinc videlicet ipsæ Ecclesiæ, earumque Pastores, & Episcopi, ex modicis inijs, ad eam prouecti amplitudinem, & maiestatem, quam iam conspiciamus.

Leod. Ecclesia splendor & auctus. Sed, vt de alijs Ecclesijs sileam, Leodiensis certè, quam longè, lateque sese diffuderit, non modo Spirituali, quàm vocamus, potestate; sed & Politicâ, ac Ciuili, nemo est, qui igaoret.

Muli Imperatores, Reges, Principes, magnis eam opibus, ditionibusque

S. LAMB. MA. TRIVM. BVLL. 201
busque auxerunt, ac ditarunt. Ne-
que hoc tantum in eius primordijs:
sed & deinceps constitutam iam, &
roboratam, magis etiam, magisque
ornarunt. Taceo alios. Heros ille
Godefridus Bullonius, Terræ San-
ctæ Vindex, & Recuperator, Bullo-
nium, Castrum suum ei attribuit,
huius Triumpho, quod iam scribere
instituumus, nobile argumentum.

CAPVT I.

*Castrum Bullonium, vt in Ecclesiæ
Leodiensis ius, ditionemque
transierit.*

IGITUR Godefridus Bullonius,
cum memorabilem illam expedi-
tionem moliretur, quâ Terram re-
cuperaret, Christi Seruatoris nostri
vestigijs calcatam, & consecratam;
videretque id sine magna pecunia-
rum vi, humanitus prestari non pos-
se: quæcumque possidebat, distra-
here aggreditur, vt esset, quo & im-
mensi

God.
Bullo-
nius bel-
lum Sa-
crū ma-
ditatu

*Bullonij
Castri
situs,*

mési belli sumtibus sufficeret; & tot egenorum, atque oppressorū Christianorum inopiam subleuaret. Erat illi præter alia, Bullonium, Arx, (Castrum vulgo dicebant, hodiéque dicunt: quo & nos nomine deinceps utemur) in confinibus duorum Regnorum, Westrasia, & Austrasia, siue mauiis, Francia, & Lotharinga sita.

& ingenium.

Rupes est vndique abrupta, atque ea altitudine ardua, vt in cælum ipsum vertice minari videatur. Alluit vtrimque Symois fluuius, ac locum suo apte ingenio inaccessum, magis etiam munit, protegitque. Scopuli circumquaque intercisi, nubium potius, quàm saxorum speciem præbent, æqui ipsis nubibus. Accessit ad naturam, artis quoque molimen, quo vtroque factum est, vt qui impositum Castrum teneat, nihil, nisi è cælo vereri possit. Neque aquæ copia deficere potest, magnum obsessis solatium. Nam ex

eo, quem dixi fluuio, ad omnem
 vsum semper tutò hauriri potest. Ad
 hoc, circumiecti vndique condensi
 saltus, duùm fere miliarium spatio,
 qui præangustis, & anfractuosis se-
 mitis, vix singulis expeditis homini-
 bus, nedum exercitibus impeditis,
 transitum, nisi malignum, & ini-
 quum præbeant.

Ex hoc Castro, crebræ fiebant in
 fines Leodiensium, excursiones, *Prada*
 molestiâ & damno insignes. Direc- *inde in*
 tiones, furta, latrocinia, cædes, quo- *Dictione*
 tidiana erant. Neque tum satis vi- *Leod.*
 rium in Episcopo Leodiensi erat, vt
 hæc tanta mala amoliretur: maximè
 cum non iusti hostis ritu, sed Prædo-
 num defultorio more grassarentur.

Sed, vt ad Godefridum redeam, *Bulloniâ*
 hoc quoque Castrum, Hierosoly- *venale.*
 mam petiturus venale proponit.
 Erat eâ tempestate Leodiensis An-
 tistes, Obertus, prudentiâ, animique
 magnitudine, cum plærisque supe-
 riorum, comparandus. Is, postquam
 intellexit,

Obertus
Episc.
Leod.
emissioni
animum
adiicit.

intellexit, venale id Castrum esse, ad illud mox animum adiecit; secum haud absurdè reputas, si illud Ecclesie suæ adiungere posset, magnum se pretium operæ facturum: quippe cum illa, quæ dixi incommoda eo pacto tollerentur; & vtriusque Regni paci, & tranquillitati consuleretur.

Obertus tamen minimè commodum ratus, præpropere animum illum suum prodere, quod præter alia etiã pecuniæ inopia obstaret: maiorem oportunitatem expectans, Divinæ Providentiæ totam rem commendavit.

Nec diu factum est, cum eâdem utique Providentiâ stimulante, Godofridus *Obtulit Beatæ Virgini* (verba veteris Scriptoris, qui rei gestæ intererat) *et pio Martyri, prædictum Castrum, ob memoriam animarum Prædecessorum suorum, conditione interpositâ, ut, si intra tempus præfinitum à se, vel à suis successoribus tribus, quos ipse*

ipse præscripserat, non redimeretur, deinceps Possessio, sicut diuiserat, cum Castello, in totum tempus, Ecclesia assignaretur.

At Episcopus, satis gnarus, pietatis & misericordiae causâ, vndique etiam ex sacro Thesauro, licere aurum, opesque impendere; iudicauit, antequam talis occasio elaberetur è manibus, pecuniam emtioni necessariam conficere. Ipsum igitur S. LAMBERTI loculum, crustis aureis regificè contectum, per pium sacrilegium nudat: ac præterea, aurum, argentum, gemmas, & quæ cætera variarum toto Episcopatu Ecclesiarum, pretiosa ornamenta erant, contrahit, atque ex illis, mille, trecentas argenti marcas (pecuniae genus est, & reiparum hodie notum) redigit: *Cassa emit.* *strum eo argento emit, & tot mala, quæ paulo ante memorabam, redimit.*

Hic ego Lectorem monendum duco, antiquum Scriptorem, (vt ex eius

eius verbis, suprâ positis, constat) videri iudicasse, Castrum Bullonium à Godefrido, Leodiensi Ecclesiæ dono datum: & tamen rursus asserere, pecuniâ idem comparatum. Hæc quomodo conciliem non video, nisi si dicam, reuera donatum esse; & pecuniam, quæ longè infra iustum pretium esset, tanquam honorarij loco datam, aut, vt firmior ipsa donatio esset, additam illam pecuniam, vt emptio potius, quam donatio censeretur.

Quidquid eius sit, Dux Bullonius Hierosolymam abiit; tres hæredes, qui soli Bullonium ex pacto redimere poterant, diem suum obierunt: atque ita Castrum Leodiensi Ecclesiæ, vt proprium, perpetuumque mansit. Fuit ea possessio pacifica, ac tranquilla, non modò quoad vixit Obertus; verum etiam, quàm diu Episcopatus clauum, Fredericus, & Albero eius nominis primus, proximi Oberto successi, tenuère.

CAP.

CAPVT II.

*Bullonij Castri Troditio,
& Occupatio.*

QVÆ de Bullonij emtione, & possessione narrauimus, anno Christi Domini millesimo, nonagesimo sexto, contigere.

At anno millesimo, centesimo, trigesimo quarto, cum Alexander sextum annum Episcopatu Leodiensi præfuisset, ingens calamitas interuenit.

Turbatus erat totius fere Reip. *Turbatus*
Christianæ status, Romanam Eccle- *tus Resp.*
siam gubernante Innocentio secun- *Chri-*
do. Imperatoribus Lothario, & *stiane*
Conrado: Lotharingæ Ducibus *status.*
Godefrido Louaniensi, & Pagano
de Lemburg. Nutabant omnia dis-
fensionum motibus: iacebat in iudi-
cij Iustitia: impune quæuis scelera
patrabantur. Leodiensis potissimū
Ecclesia, eiusque ditioes rapinis
cædi-

*Maxi-
mè Epi-
scopus
Leod.*

cædibus, incendijs vastabantur. ne-
que à quibusuis; sed ab ijs maximè
qui si alij omnes insurgerent, eam
tueri, & propugnare debebant.

*Rainal-
dus im-
piorum
Dux.*

Scitum est, multos omni ævo
fuisse, qui in aquâ turbidâ piscari a-
ment. Ex ijs tum fuit Rainaldus Ba-
rensis Comes, homo sæuus, prodi-
tionum, proditorumque, omnibus
notissimus antesignatus. Hic ad re-
liqua flagitia sua hoc etiam addidit.
Custodes Castri Bullonij, pecuniâ,
ac promissis corruptos, eò adduxit,
vt ipsum Castrum perfidè prode-
rent, ac sibi traderent. Itaque no-
cturno furto, sceleris, ac probri arti-
fices nequissimi, funibus, cum aliter
nequirent, Prædonem omnium fœ-
dissimum, sursum attrahunt, eique
S. Martyris LAMBERTI Arcem de-
dunt.

*indeque
prædas
in Leod.
agit.*

Ex hoc igitur Castro, quod pau-
lò prius Leodiensibus fuerat perfu-
gium, Leodienses ipsi vexati cœpe-
runt, & eadem ab Rainaldo pati,
quæ

quæ antè quàm Obertus illud Ecclesie suæ adiunxisset. Et quidem, cum non satis viribus polleret Albero Episcopus; qui Alexandro successerat, vt latrocinia compescerets & Regem, & Romanum Pontificem semel, iterumque adiit, opem postulans; sed semper irritus: quòd Rainaldus, eiusque emissarij mendacijs, fraudibusque omnes humanitatis, atque Iustitiæ aditus vbique occluserant. Itaque crescentibus malis, tum alia dira patrata sunt: tum oppidum Leodiensis ditionis, cui à loci situ, Fossæ nomen, à Rainaldictis, exustum est, ne Ecclesiâ quidem, & Sacratio saluo.

CAPVT III.

Castri Bullonij obsidium, & aliquot hostiles occurfus.

OCCLVSA igitur æquitatis viâ, cum aliter non posset armis agendum ratus Albero, & Bullonium

*Albero
Episc.*

O niura

nium obsidendum : paucis consilium communicat, ijsque fidissimis. Quibus cum probaretur, strenuissimum quemque è nobilitate conuocat, iuberque quam citissimè, atque maximè occultè, copias cogi, non tam hominum multitudine, quàm virtute, & animis pollentes. Parent illi propensè, & intra paucos dies manum voluntariorū contrahunt, vt numero modicam, ita arte militari, & fortitudine, Rainaldistis graffatoribus formidabilem, vt rei ostendit euentus.

*Volones
cogit.*

*ducit q̄
in hoste.*

Hos Episcopus, DEO, & tam iustâ causâ fretus, Bullonium ducit. Porro ita accidit, vt eodem ipso die, Rainaldi filij duo, Hugo, & Rainaldus, iuuenes animis præferoces, & parenti perquam similes, in Leodiensem agrum ad solitas prædas agendas, irruerent, multitudine stipati gladiatorum, qui eiusmodi palmas frequenter retulerant. His nihil minus expectantibus occurrunt Leodienses.

ses. Principium belli felix, & omen
 faustum fuit, LAMBERTO iam tum *Hostes*
 suos adiuuante. In fugam vertun- *pradant-*
 tur Rainaldini, rati multo maiorem *tes. &*
 esse Exercitus Dei multitudinem, *palantes*
 quos in insidijs latere sibi finge- *aggre-*
 bant, panico terrore correpti. Leodien- *di-*
 ces successu læti, alacres insequuntur *tar.*
 pavidos, & lætis segetibus excepti,
 castra sub Arce Bulloniâ ponunt,
 & quatenus opus visum est, muniunt.

Hic in omnem rei bene gerendæ
 occasionem intenti, deprehendunt
 molam frumentariam, obsessis val-
 de oportunam, cuius rotæ aquâ Sy-
 moentis in arctum per canales arte
 factos, coactâ in gyrum agebantur,
 & lapidibus contigujs iniecta fru-
 menta in tenuem farinam, pani con-
 ficiendo aptam, suo affrictu redige-
 bant. Addiderant Castri inuasores
 machinam, ex quâ molam protege-
 rent, & quosuis propinquantes te-
 lorum, aut saxorum turbine, illæ si
 ipsi, commodè arcerent. Hanc oportu-
 nitatem

tunitatem Leodienſes obſiſſis adimere aggrediuntur.

Henrici Erat in Exercitu Henricus, Na-
Namur murcenſis Comes, iuuenis animo
cenſis ingens. Hic audaciſſimos quoſque
Comitis hortatus, ac ſecum rapiens, fluium
virtus. eques ingreditur, canales, quos dixi,
 diſſipaturus. Sed dū ferocius, quā
 cautius, rem gerit, ipſe iaculo crus
 ſancius, equo conſeſſo, in flumen de-
 cidit: vnde ſuorum auxilio emerſus,
Hoſtiū obligato vulnere, mox ad inſtitutū
mola reuerſus, & multo quam antè acriori
frumen- canales perfregit, & molam inertem
raria reddidit, atque inutilem. Hæc primo
corrumpitur. obſidionis die à Leodiſenſibus felici-
 ter patrata, animos addidere obſi-
 dentibus, obſeſſis ademere.

Illorum tamen ſollicitudinē valde acuebat duplex timor: ne & obſeſſi ex Caſtro erumperent, maiore numero, quā ab ipſis tanto paucioribus, ſuſtineri poſſet; & Rainaldus ſenior ex aduerſâ parte, ſuppeticas filijs ferret. Accedebat com meatūs
 inopia:

inopia: non ausis inſtitoribus, per itinerum tortuoſas anguſtias neceſſaria deferre. Sed paulatim creſcente Leodiensium multitudi- ne, & proſpero rerum lætiorum ſucceſſu, id incommodum ſublaturum eſt.

Animos addebat Præſul Albero, nuſquam abſens, cuius vigilantia, & cohortatione, ante vitam, quam obſidionem, relinquere omnes decernunt.

C A P V T III.

S. LAMBERTI *Corpus in Caſtra*
deſertur.

CRESCEBAT in dies Legiacorum Militum alacritas, & ſpes potiundi Caſtri, per immane ſacrilegiũ S. LAMBERTO erepti. Sed cum quæ hætenus præclare gesserant, ipſi S. Martyri omnia attribuere; haud abſurdè ijs in mentem venit, multo maiora, atque adè victoriam, ſperari poſſe, ſi ipſe Sanctus, cui militare

Q 3.

ſe pro-

S. LAM-
BERTI
Corpus
ab Exer-
citu pe-
titur.

se profitebantur, castris suis, Dux, & Archistrategus adesset, Ergo ad Episcopum Proceres frequētes coeunt, & totius exercitus sententiam, praescesque proponunt; rogantque, & vehementer obtestatur, uti S. LAMBERTI Corpus, eò deferri iubeat, Militi praesidium, obsessis terrorem, belli finem.

Tergiu-
ersatur
Episco-
pus.

Difficile id primâ fronte Antistiti visum: cum ita diceret, Non solere eiusmodi sanctorum pignora facilè attraheri: neque verò id sibi fas esse, nisi Metropolitanò, alijsque Episcopis consultis: atque etiam vicinis Principibus: ita Ecclesiae disciplinam esse. Cæterum ea fuit Ducum, totiusque exercitus in hoc postulato, constantia, is fervor, dictitantium id sibi haut dubiè ab ipso Martyre suggestum, ut negarent, se ulterius militaturos, nisi quod piè, & summo iure petebant, concederetur. Pergebat tergiuersari trepidans Episcopus, sed cum aliter studio

dio flagranti incensis satisfacere se
 non posse animadverteret: Archi-
 diaconos, quos secum in Castris ha-
 bebat, consulit. Iis assentientibus,
 & necessitatem inculcantibus, Hen-
 ricus Præpositus, & Archidiaconus,
 Leodium legatus mittitur: & cum
 Clero, Populoque ita agit, vt, etsi
 nonnulli initio abnuerent; ad ex-
 tremum tamen omnes assentiren-
 tur: Quinetiam vltro multi se ad
 Exercitum augendum offerentes,
 ituros tamen se negarent, nisi præ-
 cedente totius expeditionis Duce
 LAMBERTO. Populo itaque fre-
 quentissimo concurrente, Loculus
 Sacrarum Reliquiarum cultos non
 sine trepidatione, & iacro horrore
 mouetur, & ante crepusculū, in om-
 nium conspectu, in publico locatur.

*Sed rati-
 one, &
 piâ im-
 portunni-
 tate vi-
 etus, as-
 sentitur.*

Die altero, pompâ, & apparatu, *Ergo de-*
 quam fieri potuit, maximo, Sacer- *fertur:*
 dotum humeris defertur, non magis
 Ecclesiastico cātu, & hymnis, quàm
 lacrymis omnium, & pijs suspirijs,

*deferere
Mosâ
fluvio.*

comitantibus. Præcedebat Martyrê,
S. Crucis, in quâ Martyrum Dux,
& Agonotheta, salutem nostram ope-
ratus est, insignis portio. Miosa flu-
uius utramque sarcinam velut exul-
tans, excepit.

*Concur-
sus Po-
puli, &
pugna gra-
vulatio.*

Occursum populorum è pagis, &
villis circumiacentibus, facilius est
cogitatione assequi, quam stilo ex-
primere. Primâ nocte in villâ Vffey,
vigilatum potius, quam dormitum
est, cereis toto Templo, in quod Re-
liquiæ delatæ, dici speciem præben-
tibus.

Alterâ, in Telin excipiuntur. Nec
defuere Prodigia: inter quæ in pago
Freitura, cæco lumen impertitum.
Tertium hospitium Vilanciæ fuit:
quo loco ab exploratoribus nuntia-
tur, Rainaldum Barensem Comitem
haud procul abesse cum exercitu pe-
ditum quindecim millium, & quin-
gentorum equitum: viderique eo
die pugnaturum: qui dies erat tertius
Kalend. Septemb. Hoc nuntio ani-
mis

mis quidam consternati, è Castris le
 subducunt: at alijs animus potius ac- *Terror*
 cessit, reputantibus, in S. Crucis, & *panicus*
 magni Martyris conspectu, hostes *quorū-*
 tantæ impietatis sibi conscios, dor- *dam.*
 sum potius, quàm vultum ostentu-
 ros. Neque eos opinio fefellit. Nam
 Rainaldini, comperto, adesse LAM-
 BERTVM, cuius perduelles, eius Ar-
 cem, immani sacrilegio inuasera-
 nt, horrore attoniti, destinata perficere
 non sunt ausi: maximè, cum simul
 spargeretur, cum S. Martyre ingen-
 tem exercitum aduenisse, cui ipsi,
 nec numero, nec viribus comparan-
 ti essent. Sic olim Philistæi trepida-
 bant, cum in Israëlitarum castra de-
 lata esset Arca Fœderis.

Interea Leodienses Martyri suo
 occurrunt; in eius conspectu humi-
 strati, pias lacrymas fundunt: & mi- *Castris*
 litari cum acclamatione, & cum fe- *Martyr*
 sto tympanorum, tubarumque re- *excipi-*
 boatu in Castra deducunt. *unt.*

O J CA.

CAPVT V.

Prodigiosa de Hugone, Rainaldi Comitis filio, Obsessorum Duce.

ERANT in Castro Bullonio duo Comitis Rainaldi Filij, Hugo, & Rainaldus : quorum ille, patris loco, Obsessorum Dux. In hoc mira ostendit suis, non magis corpore, quàm animo, & virtute præfens LAMBERTVS, quæ paucis exequat.

*Hugo.
Rainaldi filius
à S.
LAMB.
perculsus,*

Principio, è fenestrâ prospiciens, vix aduentantes sacras Reliquias obseruauerat, cum horrore totum corpus concussus, velut exanimatus corruit. Atque inter suorum manus sublatus, vbi primum ad se redierat: vocat fratrem Rainaldum, & è proceribus familiarissimum quemque. Tum altè ab imo pectore ductis suspirijs, *Quàm diu, inquit, contra ius, fasque*

fasque, in DEVM, Sanctosque eius. *G* Dedi-
 guntum more, arma feremus? An ita tionem
 cæci sumus, ut non animaduertamus, *C* Castri
 hostium copias in dies augeri, atque ad *suades.*
 eas, *C*ælestium quoque auxilia accedere?
 Sanè contra hos, neque loci oportunitas;
 neque patris mei nos diu *E*xercitus tu-
 tabitur. Quid multis verbis opus? Adest
 inuictus *M*artyr LAMBERTVS, cuius
 Domum per summum scelus occupau-
 mus. Cedamus *I*ustitiæ, cedamus *S*an-
 cto, cedamus *D E O*. Dum tempus est,
 veniam, pacemque oremus: ne, si perui-
 caciter in impietate obfirmati, iniquum
 bellum traxerimus; mortaliū, immor-
 taliūque supplicijs maitemur.

Vera eum memorare constabat:
 neque erat, qui iret inficias: sed pra-
 uitate corrupti Ducum animi,
 vulgaria illa obijciunt: *P*ræprope- *Nec*
 re de deditioe inferri sermonem: *D*ucibus
*V*ix obsidionis esse primordia: *A*r- *per*sua-
 cem esse inexpugnabilem, commea- *det.*
 tum, atque arma in longissimum
 tempus, suppetere, & superare:
*I*uuen-

Iuuentutis animos inuitos esse. Quibus oculis aspici posse Rainaldi Comitis os, cui Sacramentum dixissent? Quid responsuros ijs, qui formidinem, ignauiamque meritò exprobrarent, mulieribus potius puerisue, quàm viris, aut militibus dignam? Itaque animum resumeret, & pectus masculi cogitationibus roboraret, ac meminisset, cuius Herois sanguis esset.

*Hugo
nihilominus
urget.*

At Hugo impijs istis monitoribus nequaquam acquiescere: negare, se humanarum virium metu moueri, quem omnes hactenus nouissent intrepidum. Cæterum vbi Diuinum Numen hominum consilijs se opponeret, non fortitudinis esse, sed furoris, contrà tendere.

Mittitur Miles ad Comitē Rainaldum.

Persistebat in sententiâ infortunatus Iuuenis, & urgente intrus conscientiæ flagello, deteriora in dies se pati testabatur: donec peiora veriti commilitones, LAMBERTO cuidam militi persuadent, vt per occultam viam, & nota diuortia ad Comitem se penetraret, eiusque mente, siue iussa

iussu accepto, festinatus rediret. Ille *Alia omnia ad*
 omnia pollicitus, nihil præstitit, sed *git.*
 ad latrocinia versus, frustra expectā-
 tes obessos, & hiantes delusit

Transactis igitur diebus, quibus *Hugonis*
 eum rediisse oportuerat, Hugo de- *furor,*
 sperationis certus, & extremæ amē- *& fortè*
 tiæ iam proximus, clamitare, se de- *reali Ge-*
 ceptum, se perditum; & mox infestis *niy insi-*
 manibus, pectus, faciemque tunde- *dentis.*
 re, crines vellere, toto corpore sic
 agitari, vt nefarium spiritum obsi-
 dentem, & torquentem facilè agno-
 sceres. Verba illius nulla, nisi mani-
 festi delirij comperta: excepto, quod
 illa sæpius audiebantur: Quærite
 consilium, Quærite consilium. Sed
 frustra videlicet ista omnia. Nam il-
 li, consilij expertes correptum mise-
 rum Adolescentem, secretiorem in
 locum deferunt, manibus eius vin-
 ctis, pedibusque, ne, vti ceperat, se
 lacerare pergeret, & prorsus dilania-
 re: cum ille nihilo secius linguam
 mordicus concideret, & paternæ
 nequi-

nequitia, se uis in seipsum carnifex,
pœnas lueret.

CAPVT VI.

*Obsessorum extrema desperatio: Diuina
in Obsidentes Beneficia.*

*Obsesso-
rum de-
speratio.*

*Rainal-
dus in-
nior ad
patrem
ire pa-
rat.*

*Equus
insolens
prodire
negat.*

OBSESSI ad vltima malorum re-
daeti, concilium cogunt, &
quid consilij, desperatis rebus, ca-
piendum, sedulo exquirunt. Visum
omnibus Rainaldum iuniorem ad
patrem amandandum, vt de omni-
bus certò cognosceret, rogaretur-
que omniium nomine, vt Arcem
alienam præoptaret amittere, quàm
propriam Hæredem. Paratur eius
itineri equus generosus, qui vnus
fere reliquus erat. Sed ecce in qua-
drupede etiam triste prodigium. In-
sternitur, frænos ore suscipit: Sed
vbi è stabulo prodeundum fuit, hæ-
rere, restitare, nec equisonis voci,
aut popismati; nec flagello, aut cal-
caribus cedere. Simulacrum potius
equi,

equi, quàm equus videbatur. Planè apparuit illud, *Fallax equus ad salutem*. Et, vt magis appareret, cuius hæc nutu fierent, die altero, cum idem equus à Domino suo dono mitteretur Comiti Namurcensi, qui inter obsidentes in paucis eminebat: alacer, & acer è stabulo prodijt, & eidem Comiti se velocem, & bellicosum exhibuit.

Porro obsessi, in se mutuo coorti, & inuicem suspectantes, alij in alios districtis pugionibus, bacchantium in morem, irruerant, & foedè, noctibus maximè sese concidebant, aut trucidabant. Neque, si causam quaereres, vnus quisquam erat, qui vel probabilem vllam indicare posset.

*Obsessi
in se
mutuo
coorti.*

Alia longè facies in S. LAMBERTI exercitu erat. Cuius Martyris Corpus in modico Tentorio, tamquam Sacello, collocatum, eâ Castrorum parte, quæ S. LAMBERTI Pratum dicebatur, fluuio proximâ,
 ipsis

*Suppli-
cationes
ad S.
LAM-
BERTI
Corpus.*

ipsis Castris, ut præsens Numen,
præsidebat. Circà, ut olim circa Ar-
cam Testamenti, Sacerdotes, & Cle-
rici tendebant, & partitis vicibus, &
temporibus, manè, meridie, ac vespe-
re, laudes DEO, Sanctoque canebât,
auxilium è cælo expectantes. Neque
dubitare fas est, quæ deinceps, expo-
nemus præclarè à Leodiënsibus con-
tra inuasores, gesta, ex hoc veluti
fronte promanasse. Hoc ex ijs, quæ
iam subiungimus clarè licet ani-
maduertere.

*Läber-
tinorum
impru-
dens au-
sus in
bonum
versit.*

Machinam, quam antè diximus,
ab Arcis præsidiarijs extructam fuis-
se, Lâbertini temerario potius, quam
prudenti ausu, cum inuasissent; in-
iecto igni, nequicquam telorũ gran-
dine propugnâtib; obsessis, in cine-
res redegère. Quod omittendũ non
est, sacrificio omnes prius lustrati
erant, & criminum ritè præmissâ
Exomologesi, à Sacerdotibus, ijs
exoluti.

Cæli temperies viginti totos dies,
adeo

adeo grata, & amœna, vt antiqua il-
 la Columna ignis reduc̃ta per no-
 ctem videretur: eius enim vicem,
 candida, & argenteum micans Luna
 radiabat, & exercitum, cœlestes ip-
 sa fiderum acies intercurrens, illu-
 strabat.

Accedebat omnium rerum co-
 pia, non modo quæ ad vitam, sed &
 quæ ad voluptatem: & si quis abuti
 vellet, luxuriam. Nec defuere in tan-
 to numero, qui abuterentur. Atque
 ij velut contagè alios trahentes, pau-
 latim liberius obloqui Ducibus, im-
 properare ignauiam, & moras odio-
 sas, tædio frangi, & iam palam impe-
 ria detrectare: quidam etiam signa
 deserere, & subducere se è Castris.

Hæc DEI videlicet prouidentia
 permittebantur, vt clarius constaret
 omnibus, cui nam ascribenda esset,
 quæ aliquanto post secuta est victo-
 ria, & Triumphus.

Aderat dies decimus quintus Kal.
 Octob. S. LAMBERTI natali conse-
 cratus.

P

cratus.

cratus. Eo die Martyris patrociniis, potius quam suo numero, aut viribus freti Leodienses, in Castrum, vi subire parant. In proximas igitur silvas concurrunt, ligna certatim deferuntur, & in struem aggerantur, turri lignæ incendendæ, cui à Bello-Monte nomen. Sed hic iterum, ne, suæ industriæ, aut fortitudini tribuerent victoriam; remora obijcitur. Aduersus enim ventus, tanquam si pro obsessis pugnaret, obsidentium ora fumo, flammâque obruebat. Et accedebat ab obsessis in subiectos grando telorum, saxorumque omne genus. Connixi tamen fortiter urgebant, constanterque, LAMBERTVM mente, LAMBERTVM ore, & clamore, bonâ spe pleni, ferentes.

*Ventus,
& fumus
Leodiensium
festurabat:*

*Sed subuenit
LAMBERTVS;* Affuit suis, temerè licet, imprudenterque nitentibus, S. Martyr. Satis constat, tanto in numero subeuntium, debacchante licet ab hostibus, missilium procellâ, vix vnum aliquem

quem fuisse, qui se vulnus, aut aliud incommodum accepisse quereretur.

Evaserant iam in superiora, è LAMBERTI Exercitu, audacissimi *cuius o-*
 quique, duce Namurcensi Comite, *pe in*
 cuius eo in assultu præcipua fortitu- *Arcem*
 do enituit: cum obsessi, ad extrema *quidam*
 deducti, supplices in sequentem *enitun-*
 diem inducias petiêre; quas, ingruen- *tur.*
 te iam nocte, ab obsidentibus obti-
 nuerunt.

CAPVT VII.

*Eger Hugo in Castra ex Arce defertur,
 & ab Episcopo noxis exsoluitur:
 Arx S. LAMBERTO deditur.*

DIE insequente, Henticus Sal-
 mensis Comes, Rainaldi è so-
 rore nepos, in Castra profectus, Epis-
 copum adit, rogatque, Arcem sibi
 ingredi liceat cognatorum visendo-
 rum gratiâ. Quod post maturam de-
 liberationem permissum. Igitur vt
 Hugonem conspexit depositum, &

P 2

oculos

oculos iam in morte certâ natantes, circumuoluentem : postquam tam acerbo spectaculo illacrymauit; obsessos, proceres maximè, conuocat, & monitos, haud dubiè Vltoris Dei eam esse manum, & S. Martyris manifestam vindictam, sua repetentis; timendumque singulis, quod Duci euenisset: hortatur ad deditiorem. Nox consilio capiendâ impensâ. Fuit ea nox horrida, atque etiam horrenda. Pluuiæ, procellæ, tempestates, omnia, etiam obsessorum animos, repleuerant, reputantium, non tam ad casum, aut naturam, omnia ista referenda, quàm ad eandem diuinam vltionem. Contra verò Leodienses, non vanè existimantes, ipsam *Creaturam armari ad vltionem inimicorum, & pugnare pro ipsis contra insensatos*, non iam Orbem terrarum, sed Orbes Cælorum; asseriebant, etiam qui in môtis supercilio sub armis pernoctabant, nunquã se facilius & iucundius belli labores tolerasse.

Vbi

Vbi dies illuxit, Salmensis è Ca-
stro descendens, Episcopum, lacry-
mis perfusus, etiam, atque etiam ob-
testatur, ipse, & cæteri Proceres per-
mitterent, vt desperatus Hugo ad S.
LAMBERTI corpus deferretur. Pre-
ces simul, & promissa ab obsessis af-
ferebat, quibus bonâ fide sponde-
bant, intra septem dies Arcem tradi-
turos, nisi interea auxilium à Rainal-
do aduenisset. Et, ne vana pollicita-
tio censeretur, Hugonem pro obsi-
de interea mansurum offerebant.
Visa postulata digna, quibus annue-
retur.

Iraque in lectulo delatus Hugo,
Episcopo offertur, mutus, & mentis
impos: nisi quòd solum Episcopum
agnouit, & titubante voce, *Dominum*
vocitavit, & ab excommunicatione,
peccatisque absolui enixè petijt; il-
lud maximè memorans, quo illius,
& S. LAMBERTI Arcem inuaserat, &
occupauerat; ditionem vexauerat.
Vtrumque ab Episcopo, eius mise-
rijs

*Hugo
supplex
ad S.
LAMB.
defer-
tur.*

rijs illacrymante, impetratum. Porro Salmensis ad Hugonis Patrem Rainaldum, cum eo, de filii infelicitate, & Arcis deditioe, serio, vt omnium spectator, acturus.

*Deditur
Aix S.
LAM-
BERTO.* Consternatus Rainaldus, & sero tandem, tot plagis edoctus, sapiens, in deditioem, inuitus licet, consentit, si modo Hugo filius adhuc in viuis esset. Et erat. Itaque deditio statim facta: obsessis, corporibus, rebusque saluis, abire concessum.

*S. LAM-
BERTVS
Victor in
Arde
candit.* Iunior Rainaldus, Hugonis frater, ad S. Martyris feretrum, & ipse æger, adductus, & fratris exemplo, Episcopi absolutionem petens, obtinuit: pollicitus, quoad viueret, nunquam LAMBERTI ditionem, resue vllâ ratione læsurum. Inuasores igitur Castro egressi, Martyri, Episcopo, cæterisque Leodiensibus locum cedunt: in quem ritè purgatum, S. LAMBERTI Reliquiæ deferuntur, & in Ecclesiæ meditullio, quàm decentissimè

centissimè collocantur.

Observarunt, qui aderant, id contigisse eâ vesperâ, quæ S. Mauritij, sociorumque eius, natalem diem præit: vt sic videretur Martyr noster, tot aliorum Martyrum agmine stipatus, nobili victoriâ reportatâ, TRIVMPHVMagere. Et reuera agebat.

C A P V T VIII.

Hugonis mors. LAMBERTI
TRIVMPHANTIS *Leodium*
reditus.

TAM feliciter, & mirabiliter re-
ducto in potestatem, & ditio-
nem S. LAMBERTI, Castro Bul-
lonio: Triumphans ipse sanctus,
Leodium reuectus est. Sed cuenit
prius aliquid, quod non expediat
siluisse.

P 4

Ado.

Adolescens Hugo, delatis in Ar-
 cem, vti memorauimus, S. LAMBER-
 TI sacris pignoribus, ipse in eiusdem
 Martyris Tentorium, quod in Ca-
 stris erat, deferri petijt. Quod vti fa-
 ctum est, mox sibi, & sanæ menti,
 tamquam postliminiò, restitutus,
 sacro Christi Corpore refectus: Mar-
 tyri Triumphum gratulatus, & Epif-
 copo, alijsque multas idem talem
 gratias ob exhibitam caritatē, agens;
 bonæ spei plenus, vitâ solutus est.
Raptus fortè DEI misericantis nutu,
 est præferuidæ naturæ iuuenis, ne
 malitia iterum, mutaret intellectum,
 aut fictio deciperet animam illius.

Postridie, oblato Eucharistico
 Sacrificio, fortissimus Victor, atque
 TRIUMPHATOR augustissimus
 LAMBERTVS, effedo impositus, Dio-
 nantium deuehitur. Inde Mosa ex-
 cepit, & prodigia plura patrantem
 vidit. Namurci septenni puero, per-
 petuis tenebris iam inde ab ipso
 ortu, damnato, gratissimum Solis
 lucem

Hugo si-
 bi, &
 menti
 restitu-
 tus,

piè mo-
 ritur.

S. LAM-
 BERTVS
 Trium-
 phans,
 Leodiū
 reuehi-
 tur:
 & in iti-
 nere
 prodigijs

lucem

lucem ostendit, Andanæ, Iuuenem *se nobi-*
 è Clero moribundum, & iam ani- *litar.*
 mam agentem, salutis, vitæque resti-
 tuit. Hoij contracto gressum expe-
 ditum impertijt; quem Parentes,
 inusitatum spectaculum stupentes,
 ambulantes viderunt.

Porro Leodij, vt ab amantissimis
 filijs exceptus sit, cum iudicauerit, se *Author*
 oratione suâ consequi non posse an- *antiquus*
 tiquus Author, qui omnibus rebus *ipsi Tri-*
 gestis, quas hæcenus retulimus, in- *umpho*
 terfuit: ego multò etiam minus id *Synchro-*
 mihi sumendum iudico. Fuit ille *nus.*
 Cathedralis Ecclesiæ Leodiensis Ca-
 nonicus, vir pius in primis, & erudi-
 tus: cuius nomen hæcenus non pro-
 ditur, modestiæ studio, illud ipso
 celante.


Lubet eius verbis totam hanc
 Scriptionem claudere. Qui ad S. LAM-
 BERTVM TRIVMPHANTEM oratio-
 nem conuertens, ita ait:

I AM perlatus Leodium, quâ deuo- *Eius ad*
 tione susceptus sis, quanto honore Cui- *S. LAM.*
 P 5 *tatem Oratio.*

*et aem tuam coronaueris, dicant tui filij,
quos dulciter enutris, fortiter defendis,
misericorditer tueris: dicant altiori in-
genio, digniori eloquio; dentque meae
pusillitati veniam, qui fideliter Catholi-
ci, & Catholice religiosi, in caeremonijs
Domini, tuo patronatu, multis praemi-
nent ciuitatibus, sincere, & orthodoxae
fidei inuiolabilem firmitatem seruantes,
& per rationabile obsequium, quod
DEO exhibent, omnem haeresim, &
quidquid sanae doctrinae aduersatur,
destruentes.*

Relatus est hic TRIUMPHVS à for-
tissimo Martyre S. LAMBERTO, an-
no Seruatoris Christi 1141. 11. Kaléd.
Octobres; cum septennium Bullo-
nium Castrum Comes Rainaldus
tenuisset. Ad alium iam TRIUM-
PHVM eiusdem Martyris transea-
mus.

TRIVMPHI BULLONICI FINIS.



S. LAMBERTI MARTYRIS
TRIUMPHVS STEPPESIACVS.

DVO præfari visum est, antequam hunc nobilem S. Martyris nostri TRIUMPHVM scribere aggrediar. Prius est, Cum res satis sit longa, & à primario Authore diffusius enarrata: mihi tamen causas esse, cur compendiò potius vtendum putem; sed sic, vt, quoad fieri poterit, vix aliquid omittam, quod ad argumentum propriè pertineat. Quod si cui volenti erit, omnia plenius exarata legere; sunt in manibus Authores, qui eius desiderio abundè facient satis.

Posterius, quod hîc præmittendum duxi, est ipsorum Authorum indicatio, vnde ea hausi, quæ afferro. Hoc cur hîc faciam, cum neque in Vitâ, neque in priore Triumpho,

pho, fecerim: causas aliqui forte
scient: alij suspicabuntur. Et qui
ignorabunt, ijs nihil sanè magni in-
commodi inde eueniet. Ergo Au-
thores mei sunt isti.

Primus, Anonymus quidem ha-
tenus est, sed quem constat Cathe-
dralis Ecclesiæ Leodiensis fuisse Ca-
nonicum, Theologum insigniter
eruditum, DEI zelo ardentem: &
(quod ad Historiæ fidem in primis
spectat) qui ea scribat, quæ ipse vi-
dit, quibus interfuit, & quorum pars
aliqua, nec ignobilis, fuit. Scribit au-
tem eo ipso tempore, quo adhuc ge-
rebantur, vel cum adhuc ab agita-
tione suâ, vt sic dixerim, calerent: &
cum tot essent millia hominum cu-
iusque generis, qui eum mendacij
arguerent, si vana afferret. Habes
huius Authoris Narrationem ad fi-
nem Tomi secundi Ioannis Chapea-
villi, quo aliquot Authores comple-
ctitur, qui Gesta Episcoporum Leo-
diensium posteritatis memorię pro-
diderunt,

TRIVMPHVS STEPPES. 257
diderunt, Satis de isto. Reliqui sunt
quos subiungo.

Aegidius, Aurez-Vallis Reli-
giotus, in Hugone de Petra-Ponte:
Eodem Tomo Chapeauilli.

Chronicum magnum Belgicum.

Renerus, Monasterij S. Iacobi,
Leod. Monachus: è quo multa af-
fert Chapeauillus, Annotationibus
ad eundem Hugonem.

Breuiarium Leodiense in Offi-
cio Diuino, quod repetitur quotan-
nis, cum illustri memoriâ huius
Triumpho, die xij. Octob.

Hadrianus Barlandus in Chroni-
cis Ducum Brabantiz, cap. 37.

Iustus Lipsius, Louanij lib. 2.
cap. 3.

ALBER-

*Alber-
tus Co-
mes, S.
LAM-
BERTO,
eiusque
Ecclesia
Moha
donat.*

ALBERTVS Comes de Moha,
cum heredem non suscepisset,
neque spes se ostenderet, deinceps
suscipiendi: stimulante animum pie-
tate; Arcem, siue Castrum suum,
Moha nomine (*Muha* alij dicunt)
S. Martyri LAMBERTO, eiusque Ec-
clesiæ Leodiensi, perpetuò haben-
dum donat: eâ tamen lege, vt ipse,
quoad viueret, vteretur, frueretur.
Quod si filius illi, filiaue nasceretur;
illi, eiusq; deinceps hæredibus, idem
Castrum cederet; sed sic, vt ab Ec-
clesiâ Leod. se habere agnoscerent
iure beneficiario. Præerat tum illi
Ecclesiæ Hugo de Petra-Ponte. Ad
hunc die constitutâ, accedit Alber-
tus, & Scriptum, quo donationem
ritè sanciebat, Altari S. LAMBERTI,
venerabundus imponit: adhibitis
etiam, pro illius temporis consuetu-
dine, *ramo*, & *cesspite*. Contigit hoc
anno Christiano 1204.

Eâ tempestate, Brabantix Dux
erat Henricus primus: quem alij
Loua-

Louaniensem Comitem vocant. Is, *Henrici*
 defuncto Alberto, propinquo suo, *cuius Lo-*
 causas alias ex alijs necit, & sedulo *uani-*
 confingit, quibus donationem irri- *fibi ad-*
 tam faciat, & Moham ditioni suæ *ungere*
 adiungat, Episcopo suum, & S. *parat.*

LAMBERTI ius strenuè propugnante. Henricus, prædæ inhians, & repulsæ impatiens, maiora molitur. Venerat Moguntiacum Otto Rex, Ducis Saxonum filius, cui paulò antè ab Innocentio quarto Pont. Rom. sacris erat interdictum. Huius *Exerci-*
 authoritate fretus Henricus, grandi *tū Leo-*
 Exercitu contracto, Mohanam obli- *diū du-*
 ditionem fraudulenter ostentans, cō- *cit:*
 uerso repète agmine, Leodiū ducit.

Hugo Episcopus paucos omnino, ut in re trepidâ, armauerat à quibus repente destitutus, ad extrema deducitur.

Igitur anno Christi DEI 1212. *Ciuitatē*
 quâ die Christum in cælos ascen- *capit,*
 dentem Ecclesia venerabatur, si-
 mulque eius S. Crucis Inventionem,
 in

in Urbem cum suis irrumpit Dux, nemine obsistente. Cladem paucis indicat Chronicon Ducum Brabantia, cuius verba hinc describere lubet:

Dux Henricus intrauit Ciuitatem Leodiensem in multitudine graui, hora tertia, ubi magnam plagam operatus est cadibus, & rapinis. Nam aurum, & argētum omnia patuerunt direptioni. Sacerdotes, & Clerici nudati sunt: nec Ecclesijs DEI pepercerunt, Fiebant in eis caedes, & rapinae. Altare S. LAMBERTI sanguine manabat. Magna quoque multitudo mulierum, & paruulorum interijt: alij interfecti & alij submersi.

diripit, nec sacris abstinet, quae scemerat;

quin & sanguine foedat.

Operæpretium est & Barlandum audire, qui & ipse Chronica scripsit Ducum Brabantia. Is in eo opere, cap. 37. de Henrico loquens, ista habet: *Susceptæ administrationis anno XXVIII. ex totâ Brabantia militem stipendio conduxit; cum quo Leodium profectus, Urbem dies aliquot, bellicis operibus, extra, intraque ferociter oppugnatam*

*pugnata cepit. Multi mortales om-
nis sexus, intra muros casi ab irato
milite. Multi, non solum natu grandes,
verum & pueruli (horresco referens)
in amnem precipitati. Hinc conuersus
hostis ad Templorum spoliationes, Al-
taria quoque tinxit, ac fœdauit humano
sanguine, ut nusquam non existerent eius
insania vestigia.*

Multo plura, & pluribus, Author
synchronus Ibi legas nudatos pue-
ros, Sacerdotes, mulieres: effractum
Sacrarium, sacrum oleum effusum,
sacrosanctas Hostias, cum Christi
Corpore, dispersas: domos Canoni-
corum, aliasque, quas sanctas esse
oportebat, perfractas, prophanatas,
spoliatas. Item in S. LAMBERTI Ec-
clesiâ, Iuuenem letali vulnere affe-
ctum, in Altari SS. Trinitatis, cum
sanguine vitam effundentem: ipsam
Ecclesiam plurifariam incestatam:
sacram supellectilem sublatam: quæ
auferrî non poterant confracta, aut
contaminata, solum S. LAMBERTI

Q

Mau.

Mausolæum intactum fuit; siue se
contra impios tuitus est: siue non
est ausa gens non Sancta, violare,
quem tam potentem nossent Vlti-
rem.

Nec defuerunt, qui aurum, ar-
gentumque, scrutantes, sterquilinia
euerterent, & peruaderent cloacas.
Reliqua malim te cogitare, quàm
me scribere.

*Hugo
Episc.*

His patratis, Hugo Episcopus Cle-
ri primores è totâ Dicecesi conuo-
cat Huum, habitoque maturo consi-
lio, zelo iustitiæ accensus, Ducem,
& quotquot tam barbaro facinori
dederant operam, Ecclesiæ Con-
munionem ritè priuat. Decretum ibi-
dem, vt ea excommunicationis sen-
tentia, omnibus deinceps Domini-
cis, festisque diebus, in publicâ po-
puli concione, cum factis execratio-
nibus repeteretur. Illud etiam, vt Sa-
cro sanctæ Crucis Imago, & Sancto-
rum Reliquiæ, spinis circumdatæ, in
Ecclesiâ humi deponerentur: Cleri
solemnis

*illam so-
cietatē
Commu-
nionem
Ecclesiæ
priuat.*

solemnis cantus, & Organorum lætus sonus tota ditioe obmutesceret. & in Maiore Ecclesiâ Diuina Officia cessarent.

Interea Duci sociatus Philippus Galliæ Rex, Anglis bellum illaturus, Classem naualem incendio amittit: agnoscitque, & clarè profitetur, id se cladis meritò perpeffum, quod cum excommunicato se suâque miscuisset.

Porro Henrici sectatores plerique eodem excōmunicationis vinculo innodati, grauiora, vlciscente Numine, experti sunt. E quibus Gerbertus quidam, apud Thenas Decanus, cum ludibriij causâ, sacris Præsulis Leodiensis vestibus indutus, inter nebulones aliquot, personatum ageret Episcopum: repente in furorem versus, linguam sibi met mordicus præcisam deuorauit, & horrédâ morte sublatus est. Alius Presbyter, qui Duci à Sacello erat, in festo conuiuio, quo cum Rege

*Gallie
Rex,
ansus se
adiunge-
re Hen-
rico, di-
ninitus
luit.*

*Luît &
Henrici
Affectat*

Q 2

Dux

Dux epulabatur, publicum gaudium incestavit, repente coram omnibus exanimatus. Simili fere fato iuncti omnes Ducis consiliarij.

*Etiam
Rex Ot-
to.*

Quid, quod ipse Rex Otto, cuius Authoritate Henricus nixus, contra S. LAMBERTVM arma sumserat, non ita multò post, disruptis, & ebullientibus visceribus, in secretiore con-clavi obambulans, extinctus est?

*Dux sibi
similis:*

His tot suorum cladibus nihilo melior factus Dux, consuetas fraudes, & in Leodienses furorem animo, ut antè fouens, nova foedera, in eorum extremam perniciem, moliebatur. Itaque cum Regi Galliaë victoriam, recens de Ottone obtentam gratulatus esset; lepidè illi Rex, fraudem odoratus, illudit. Mittit ad eam duo epistolia, utrumque Regio sigillo diligenter munitum. Ea Dux dum reserat, in priore nihil scriptum reperit: in posteriore, erant hæc verba; *Sicut prior scedula scripturâ fuit vacua; ita est Dux vacuus fide, & insitiâ*

*quem
Gallia
Rex il-
ludit:*

Titia. Eleganter Rex eius vafriciem, & vanitatem, clausis litterulis aperuit. At ipse Dux perpetuò suam impietatem. Vnum hoc exemplum properanti, & à multâ exprobratione abhorrenti, retulisse sufficiet.

Collectis iterum copijs, Leodiũ infestus petebat. Quo in itinere, cum Waleuiam attigisset, Templum ingressus, Crucifixi Christi imaginem, ex Episcopi præscripto, humi prostratam videt. Spectaculum erat eiusmodi, quo quiuis Christianus homo ad salutarem poenitudinem, religionisque sensum moueretur. *Sed Sacriligy solens insistit.*

At Henricus, sacrosanctum illud signum, manibus sanguine ebrijs corripit, & cruribus, manibusque, immani sacrilegio diffractis, in sterquilinum abijcit, eiusmodi laruis (ô patientiam, Christe, tuam immensam!) nihil se moueri, cum amarâ irrisione dictitans. Sed caro illi stetit dolus, impietas, sannæ. Audi extremũ tam funestę Tragedię actum.

Q 3

Reuertens

Tandē
irato
Numini
dat pœ-
nas.

Reuertentem exercitum (Henrici) in-
quid Barlandus, iustâ Numinis irâ,
felicitas prior deseruit. Cum armatâ
enim manu, Leodiensium Antistes in-
secutus, & acie congressus, duo Braban-
torum milia occidit, qui magnâ parte
Louanienses erant, ac Lyrani: multos
etiam captiuos abduxit. Henricus &
ipse periclitatus, agrè cum paucis effu-
git.

Breuiarium hoc est historiz me-
moriâ dignissimæ: sed ita breue, vt,
etsi studiosè breuitati studeo, paulo
tamen pluribus exponendam iudi-
cem.

Episco-
pus con-
tra Du-
cem ar-
matur:

Hugo Episcopus, iustâ irâ in Du-
cem accensus, & iustam vltionem
meditans, Fossensibus, Dionanten-
sibus, Huensibus, alijsque Leodium
conuenire iussis: cōstituto die, cam-
panas (quæ diu iam mutæ siluerant)
pulsari iubet, & eo signo dato, ar-
matos ciues, turmatim, cuneatim-
que in campum procedere, optima
spei plenos.

Dux

Dux contrà, altero ab vrbe milia-
 ri (Skendremale loco nomen est)
 fuorum aciem ordinabat. Sed Leo-
 diensium aduentu audito, in fugam
 vertuntur. Quos Episcopus animosè
 consecutus, ab exploratoribus acci-
 pit, eos in Brabantia confinibus
 consistere, munitis castris in agro,
 quem Steps dicebant. Hic ille locus
 est, qui huic Triumpho nomen de-
 dit. Huc cum suis properat Episco-
 pus, & lustratum de more exerci-
 tum, & orare iussum, ad pugnam,
 virili adhortatione animat, quæ &
 militarem animum facilè proderet,
 & Episcopi non dedeceret pietatem.

Inter hæc, orantibus Leodiensi-
 bus, eximio candore Columba, su-
 blimis sese ostendit, & aciem alis
 stridentibus circumuolitans, ac ve-
 luti lustrans, omnium animos, opti-
 mæ spei compleuit; nemine dubi-
 tante, id augurium, vel è celestibus
 mentibus aliquam significare, cui,
 vt Diuo Tutelari, Ecclesie ac Patrie

*Ducis,
 eiusq;
 Exerci-
 tus, tur-
 pis fuga.*

*Cādida
 Colum-
 ba, latū
 Leodiē-
 sibus
 Augu-
 riū.*

Q 4

tuendæ

tuendæ cura demandata esset : vel ipsius Martyris, cuius potissimum honos, relique agebatur, præsentem opem.

At Brabantini, nihil veriti imminentem iam iam læsi Numinis vindictam, tertio procumbentes Leodienses, & veniam, roburque à Deo orantes, procaciter irridebant. *Nimirum isti, inquebant, metu trepidi nos adorant.* Sed mox, neque metuētes, neque supplices experti sunt: etsi Ducis quidem copiæ maximæ essent, & ad Brabantinorum plurimam multitudinem, peregrini quoque militis ingens numerus accessisset : Episcopi verè longè minor exercitus. Sed nimirum eo die, magni DEI Exercituum, eiusque invicti militis LAMBERTI futura erat victoria.

Confl-
ictus.
Braban-
tini
exstia-
lis

Igitur Theodoricus, ex Episcopi ducibus, bellator & fortissimus, & peritissimus, iubente Præsule, aciem disponit, & suos cohortatus, hostem
ferocites

ferociter irruentem excipit. Et quidem initio tantæ multitudini cedere paulisper visi Leodientes. At erectis animis LAMBERTVM ductorem, adiutorem, ultorem ingeminantes, idem tuncque repetentes, tantum terrorem LAMBERTI hostibus intulêre, vt auersi, sine ordine, sine disciplinâ, dissipati, palantes, in solâ fugâ præsidium ponerent. Instant Leodienses, & spolijs neglectis, quæ ultro offerebantur, fugientes insecuti cedunt. Cecidere in eo prælio ad tria Brabantinorum milia. Henricus ægrè euasit. Captiuorum ingens fuit numerus. Labet hîc ponere Iusti Lipsij, disertissimi viri, disertam narrationem. Louanij lib. 2. cap. 4. ita ait:

Bellum erat Henrico cum Leodiensibus: & ipse animo, ac copijs paratior, fines istorum inuasit, & Tungros oppidum oppugnauit, & cepit. Hic successus dedit audaciam, vt matrem urbium, Leodium ipsum, raptim duello exercitu

Q I

aggrede-

aggrederetur, Spes in celeritate erat, &
 ut imparatis superueniret: contra fuit,
 intenti, instruitque expectant, reiiciunt,
 & reiectum ipsi iam animis aucti in-
 sequuntur. Nostri sub noctem Stippis ca-
 stris locant: hostis assident, & ut è vi-
 cinis, frequentibusque locis, nobilitas, ac
 plebs adfluit, & in horas copia augen-
 tur. Adest ipse Episcopus Hugo, adest
 Ludouicus Comes Lossensis, item Philip-
 pus Namurcensis, ipse Hendricus Dux
 Limburgensis, & clientium quoque se-
 lecti. Nostri numero valde impares,
 castris primò se continent: sed post bidui
 inopiam, omnibus circa hostilibus, ausi
 aciem, egrediuntur, & hostem ultrò la-
 cessunt. Stant in principijs Louanienses,
 iisque adiuncti Lirani, Sandthouiani:
 pugnant acriter, cadunt, & caduntur:
 sed hostes paulatim circumfusi, reliquos
 nostrum turbant, & dant in fugam.
 Multi cadunt aut capiuntur: ipse Dux
 Hendricus in discrimine, equo lapsus:
 & sunt qui captum etiam tradant, sed
 forti, & fideli, operâ Louaniensium
 ereptum.

ereptum.

ereptum. Illud constat, horum ope Duce[m] seruatum, sed cum multâ nostrorum caede, è quibus ad duo millia perijisse scribuntur, interque, eos, è Patricijs multi.

Non pauca diuinitus prodigia inter hæc accidere, ne dubitari posset, cui ascribenda tanta victoria esset. *Prodi-*
 Ex his, vnum, alterumque referam. *gia.*
 Satis constat, Solem cum vibrantibus radijs, Leodiensium oculos in prælio, non exiguo eorum incommodo, reuerberaret; subitò opportunâ nubeculâ contectum, animos ijs addidisse.

Nec defuerunt, quibus in ipsâ *LAM-*
 acie conspectus S. LAMBERTVS, can- *BERTVS*
 dido equo insidens, armis aureis ful- *in ar-*
 gidus, auream hastam validâ manu *mis.*
 vibrans; præcedente DEI Matre Virgine, atque ipsum, totumque exercitum, ad pugnam fortiter capeffendam, animante. Illud mirum planè, & iucundum.

Puellæ Leodij somno sopitæ,
 Vir quidam, augustiore, quàm pro
 humanâ,

*Mirum,
& incu-
dum Vi-
sum.*

humanâ specie, repente assistere
visus; qui sic eam allocutus: Age,
mulieribus, quorum viri in aciem
egressi, edicito, candelam compo-
nant, quæ Maioris Ecclesiæ spatium
æquet, dimensa eius longitudine,
itemque latitudine. Tum eandem
Candelam particulatim dissecent, ac
singulas partes in Templi angulos
distributas, accendant: sciantque eas
non consumtum iri, donec meæ
Diœcesi de Brabantinis integra vl-
tio tribuatur. Hic se diuinus ille Vir
fatis prodit, esse S. LAMBERTVM. Po-
terat hoc visum, à puellâ præsertim
proditum, pro vano reijci, nisi præ-
nuntiationi accurate respondisset
euentus. Nec enim antè Candela-
rum lumen desijt, quàm Brabanti-
norum vitæ lumen extinctum est,
& victoria, vti demonstrauius, ob-
tenta.

Accedat huc præclarum Philippi,
Franciæ Regis testimonium, qui
aliquantò post, insigni victoriâ de
Duce

Duce Henrico relatâ, captisque non paucis primarijs, eiusdem S. LAMBERTI ope, quę in mediõ conflictu, magnis clamoribus eius exercitus adiutorem petierat: cum captiuos ipsos interrogaret, Ecquis tandem eos cepisset? illique responderent, vtique tu, Domine; *Non est ita*, ait, (iuvat, verba eius verbatim ponere) *per lanceam sancti Iacobi, non est ita*: (hoc ei iuramentum solemne) *Sed Patronus Legiæ, quem suis volebatis spoliare allodijs, in nostram Coloniã vos redegit.*

Iam de ipsâ clade Leodiensium, de spoliatâ Ciuitate, & Ecclesijs, de vindictâ consecutâ, tot fuerunt diuinitus immissa somnia, visa, prænuntiationes; vt iustum volumen inde confici possit, si quis ea figillatim persequi velit. Et quamuis alijs quoque ista indicarentur à DEO: potissimum tamen Odiliæ, viduæ sanctissimæ, eiusque filio, Ioanni Abbatulo Presbytero, qui vterque eo tempore,

*Reginam
testimo-
niũ pro
S. LAM-
BERTO.*

tempore, Prophetiæ spiritu erant clarissimi.

Relata ea victoria est Christi anno M. CC. XIII. tertio Idus Octob. quæ Dominica erat, canebaturque in Sacrificij solemnibus introitu, illud è Psalmo: *Iustus es, Domine, & rectum iudicium tuum.*

*Hugo
Episc.
hostile
agnem in
Braban-
tiam du-
cit:*

*& vi-
lor,*

*Trium-
phantis
ritu,
Leodii
redit.*

Cæterum Hugo Episcopus, memor, quantis cladibus Ciuitas Leod. attrita fuisset: vt Brabantinis vicissim aliquid ægrè faceret; Hanutum oppidum obsidet, capit, ciues inde eijcit; turrimque, primarium eius propugnaculum, solo æquat. Tum inde digressus, occurrentes pagos direptione, & incendio vastat; oppido etiam, cui Livves nomen, in fauillam redacto.

Ad postremum, non tam triumphans ipse, quàm S. LAMBERTI fortissimi Martyris TRIUMPHVM sacris carminibus decantans, Leodium ingreditur, eo apparatu, & lætitiæ significatione exceptus, quam quisque

que

que animo subiicere potest, & quam recens adhuc illa vastatio permisit. Sanè, neque hæc, nec publicus ad id usque locorum luctus, impedimento fuit, quo minus Ædes sacræ, DEI, & TRIVMPHANTIS LAMBERTI, festis laudibus, dies noctesque resonarent.

De Henrici proteruitâ, cum multa dicenda supersint: de eius pœnitentia aliquid addere malo, maximè cum ad LAMBERTI gloriam pertineat, atque eius Triumphus pars illustris sit: aut epimetrum.

Publica

Henrici

Duce

Pœnitentia,

&

supplicis

Preces.

Agnosens igitur tandem dux, quàm durum esset, contra stimulum calcitrare, & DEI, Martyrisque manuum, etiamnum sequentem sentiens: Leodium, non, vt aliàs, armatus, & infestus; sed obnoxius, & supplicandus, venit. Ibi relictis ad portas focijs, caput, pedesque nudus, pœnitentis habitu, per longos platearum tractus, S. LAMBERTI Ecclesiam petit, & genibus nixus, Sanctorum Reliquias,

liquias, eatenus inter spinarum horrida, vt supra demonstrauius, solo iacentes, venerabundus leuat, & Episcopo tradit. A quo veniam, pacemque consecutus, patriam repetit.

*Repetenda eius
Triumphus,
quotannis
memoria.*

DEINCEPS verò, vbi gratulationum strepitu quiescente, de perpetuandâ, vt fas iustumque erat, tanti beneficij memoriâ deliberari ceptum: duo constituere placuit. Alterum, vt in Ecclesiâ Maximâ, die statuto, ipsius Martyris memoria, in solemnibus precibus, perpetuò recurrat. Alterum, vt TRIVMPHVS STEPSIACVS, quo die obtentus est, Officio, quod Ecclesiæ Rituales libri *Duplex* vocant, totâ, quam latè patet, Leodiensi Diocœsi, celebretur.

Vtrumque hoc, DEO, & S. LAMBERTO cordi fuisse, miraculo ostensum, quod hanc nobis scriptionem concludat.

Cum maximè illi honores sancto Triumphatori Leodij haberentur;
parum

parum in eâ viciniâ, id sibi honorificum rati Brabantini, atque in primis Dux ipse; ab Hugone Episcopo, abrogari supplices rogant. Hugo mollior, quàm Religio suaderet, persuadetur. Itaque sexto anno, quam id sacrû ceperat, ipso Triumpho peruigilio Ecclesiam ingressus, deinceps festam haberi eam lucem, primoribus assentientibus, vetat.

ca me-
moris
Mira-
culo cõ-
proba-
tura

At Ioannes Abbatulus, eiusque mater Odilia, à DEO vterque seorsim edocetur, Cacodæmonum operâ id fieri, LAMBERTO eam gloriam invidentium; quos Odilia, tamquam stellas, pro luce fuliginem atram, picis instar, emittentes, & Ecclesiam, facto globo, ingredientiæ conspexit. At diluculâte die, videt eadem Odilia S. Martyrem in augustissimo habitu, multâ luce radiantem, Ecclesiaz limina subire, quo conspecto, nefariorum spirituum cohors, impetu erupit, & quàm longissimè sese proripuit. Ipse porro Sanctus cor-


R paris


poris sui Conditorium eâdem, quâ fulgebat, luce collustrauit. Quo die autem Triumphus celebrari consueuerat, summo manè Clerus vniuersus ad Episcopum conueniunt, & DEI, suamque mentem exponunt, negantque fieri posse, vt susceptam tantâ ratione, tam illustris Triumphus recurrentem quotannis solemnem memoriam, in cuiusquam gratiam omittant. Tum mox Ecclesiam petunt, & quantâ possunt pompâ, Missæ, atque à meridie, Vesperarum Officium, de more decantant. Atque ea consuetudo supra quatercentenos annos, Leodij tenuit, deincepsque perseuerat.


Finis Triumphus Stephiaci


S. LAMBERTI.

Collegij Societatis JESU Paderbornæ 1636.









Th
2501